



M. 1, 402. Oct.

L. M. 1, 250.



























CONSPECTUS
HERALDICÆ,

Succincta, curiosa & perspicua
ratione adornatæ,

IN DUAS PARTES DIGESTÆ:

INSIGNIA

Præcipuorum

in cultiori Europa

**Imperatorum, Regum,
Principum ac Statuum,**

*Uno velut obtutu,
exhibens.*

Opusculum, non minus figurarum, æri ni-
tide incisarum, varietate jucundum, quam lectu necessa-
rium omnibus illis, qui hospites in Orbe &
Patria esse nolunt.



HAMBURGI,

Ex Officina Libraria, SCHULTZIANA.



TINCTURA HERALDICA.


Aurum

Argentum.

Rubeus Color.



Cæruleus.



Niger.



Viridis.




Purpureus



Vellus Hermion:



Vellus Varium



Tincturae Heraldicae, quas in Metalla & Colores distinguere licet, olim literis initialibus (ut r. rubeum colorem &c.) notabant ; Sed multo nitidior est modus recentiorum, per lineas & puncta signandi, ita ut

1. Aurum notetur punctulis per scutum aut figuram sparsis.
2. Argentum, si nullæ lineæ aut puncta adsint.
3. Rubeus color, lineis perpendicularibus.
4. Cæruleus, lineis horizontalibus.
5. Niger, lineis & perpendicul. & horizontalibus.
6. Viridis, lineis ex angulo dextro diagonalibus.
7. Purpureus, lineis ex angulo sinistro diagonalibus.
8. Vellus Hermionicum, maculis nigris in argento.
9. Vellus Varium, pilcolis alternis argenteis & cæruleis.



PRÆFATIO

PARTIS I.

IN aperta & Regia via proluxa instructione & manu-
ductione opus non est, paucula hæc igitur L. B. faltem
accipe: *Primo* non ex scribendi pruritu, sed sincero illis,
queis vasta & sumptuosa aliorum Opera Heraldica evol-
vere nec libet, nec licet & glorioso tamen in plane Re-
gium hocce studium desiderio feruntur, inserviendi ani-
mo, hoc quicquid est opusculi prodiisse. *Deinde* nihil
heic fictum aut temere novatum reperiri, sed omnia ex
Incomparabilium in hoc sciendi genere Virorum Scrip-
tis: *Dn. Philippi Jacobi Speneri Historia Insignium
Illustrium, Dn. Jacobi Wilhelmi Im Hoff Notitia S. Rom.
Germ. Imperii Procerum, Orontii Finai Lusu Armoria-
li, Pauli Fürstii Libro Insignium* & aliis fide dignissimis
esse congesta, quorum ideo ipsissima etiam verba sæpe
retenta, ne fontes dissimulari videretur; nec Insignia
mutata, nisi ubi aut Status aut Imperantium mutatio
quicquam mutare juberet, aut addendum ex uno ali-
quid esset, quod in altero non reperiebatur. *Porro* ad
realia, Chronologiam præcipuè & Historiam Originis &
Translationis Insignium, cogitationibus attentis, verbo-
rum elegantiam non semper obtineri, nec curiosiori li-
ma expoliri omnia potuisse, quod inter varias & conti-
nuas occupationes, turbas & molestias, instantibus &

urgentibus nundinis, scriberentur & sæpe relegendi tem-
pus vix superesset. *Denique* non omnia, sed præcipua
faltē Insignia in hoc manuali Heraldico data esse, ne mo-
les & sumptus nimium excrescerent. Quod si tamen hoc,
quicquid est opellæ curiosiori & politiori Orbi non in-
gratum obvenisse perceptum fuerit, plura imposterum
addere Insignia semper licebit, nec reliquos Principes &
Comites Germaniæ Parti Primæ, nec plures Exterorum
familias Illustres Parti secundæ adjicere pigebit. Hisce
Vale L. B. Opusculo huic Heraldico fave, Insignemque
Dei Benignitatem prædica, qui cum possessionibus In-
signia de gente in gentem transfert, ipse autem manet in
æternum & Insignia ejus perennant, quæ sunt.

a & a

CON.

CONSPECTUS
HERALDICÆ

Part Prima

**S. IMPERII ROMA-
NO GERMANICI**

præcipua

INSIGNIA

exhibens.

CON-

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





IMPERATOR
 ROMANORUM ET GERMANORUM
 SEMPER AUGUSTUS
 SCUTUM.


Aquila Imperialis nigra biceps, cujus super capita eminens diadema Imperiale, Limbi seu annuli circa capita, rostra & crura cocco tinguntur, in solo aureo, si vero absque scuto, velut liberè suspensa Aquila nigra sistatur, ut in nostra figura, reliqua auro pinguntur. Origo hujus Aquilæ est à signis militaribus Romanorum, sed forma biceps, ante Henrici III. Imperatoris & Seculi XI^{mi} tempora vix usitata invenietur, ad divisionem autem Imperii in





Oriente & Occidentale, respici dubium non est. Notatur itaq; hoc Symbolo Univerſum Imperium Occidentale, non quidem illud, quod poſt Theodoſii tempora ſic appellatum eſt, ſed hoc quod poſt Ottonis I. ætatem (præcipue ſub Friderico Barbaroſſa) in Germanicum, Italicum & Arelatense Regnum diviſum fuit, & à Rhodano in Livoniam, à Mari Germanico in Siciliam uſque ſe aliquando extendit. In pectore Aquilæ qui cernitur clypeus, duas hodiernas Lineas Auſtriacas, Germanicam & Hiſpanicam denotat. Ordo Velleris Aurei circumponitur à Burgundis oriundus. Reliqua circa aquilam in orbem diſpoſita Scuta, Regna & provincias hæreditarias Celiſſ. Archidomus Auſtriacæ deſignant, in qua dignitas Imperatoria jam ab 1438. conſtanter hæret. Ut ſunt Hungarici Regni gemina parmula, altera 4. argenteos fluvios (qui ſunt in Hungaria præcipui, Danubius, Savus, Dravus & Tibiſcus) per ſolum rubeum ducens, altera crucem geminatam Archi-Epiſcopalem, Stephano primo Hungarorum Regi Chriſtiano an. 1000. à Pontifice dono miſſam exhibens. Regni Bohemici Leo cum duplici caudâ à Friderico I. Imp. 1158. datus Uladiſlao ex Duce Regi creato, Dalmatiæ, Croatia & Sclavoniæ Regnorum, ad Hungariam pertinentium, teſſeræ, quibus omnibus coronæ Regales clauſæ imponuntur, quamvis aliàs etiam ſuis apicibus non deſtituantur. Archiducatus Auſtriæ fascia 1191. ſuſcepta à veſte Leopoldi VII. Ducis, in oppugnatione Ptolemaidis tota cruentata, excepta parte, quæ baltheo recta erat. Ducatus Burgundiæ 1477. per matrimonium Mariæ Burgundæ Maximil. I. Auſtriaco, poſt Imp. allatus. Ducatus Styriæ, ſeculo XII. ad Leopoldum VII. Auſtriacum delapſus. Ducatus Carniolæ ſeculo XIII. ad Fridericum Bellicoſum Auſtriacum devolutus. Hiſ ſcutis mitræ Ducales imponuntur. Comitatus principalis Tirolis per Margaretam Maultaſch: ultimam hæredem 1363. conſobrinis Auſtriacis tranſcriptus.

ELECTO-

ELECT: MOGUNT. TREVIRENS: COLONIENS:



REX BOH. PINC: D. BAV. DAPIE: D. SAX. MARSCH:



MARCH BRAND. CAM: PALAT THES: : D. BRUNS:



ELECTORES

S. ROM. IMPERII.

Scuta Dignitatum Electoralium.

O Riginem Dignitatis Electoralis alii à Sec. X. & Ottone III. accersunt, sed verius principium ab Aurea Bulla Caroli IV. 1356. capitur, quamvis ante illã consuetudine jam quodammodo obtinuerit. Numerus Electorum in Aurea Bulla terminabatur, Septenario. 1648. Octavus, 1692. Nonus Electoratus accessit. Ecclesiastici Electores tres, Seculares hodie sex numerantur, ordine qui jam sequitur:

A 3

I. Ele-

1. Elector & Archiepiscopus Moguntinus S. Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, rotam argenteam sex radiorum in rubro gestat, in memoriam Willigisi Archiepiscopi, patre carpentario nati, qui Sec. X. sub Ottone II. & III. sedem Moguntinam præcipuè ornavit.

2. Elector & Archiepiscopus Trevirensis S. Romani Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius quæ dignitas vel sub Friderico I. Imp. 1157. vel sub Carolo IV. 1356. primum cœpit, crucem rubram in Argento præfert.

3. Elector & Archiepiscopus Coloniensis, S. Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, qui titulus Seculo XI. vel XII. accessit, crucem nigram portat in argento.

4. Elector & Rex Bohemiæ, S. Romani Imperii Archipincerna, cujus signum est poculum aureum, à Leone Bohemico aliquando unguibus gestatum in rubro.

5. Elector & Dux Bavarix S. Romani Imperii Archidapifer, pomum Imperiale auream cruce ornatum in rubro sistit. Dignitas hæc 1623. in hanc familiam illata.

6. Elector & Dux Saxonix S. Rom. Imperii Archi-Marschallus, gladios in decussim positos super solo nigro & argenteo gestat. Dignitas hæc hodiernæ familiæ 1423. acquisita.

7. Elector & Marchio Brandenburgensis S. Romani Imperii Archi-Camerarius, Sceptum aureum in cæruleo solo ostentat, dignitas hæc 1415 hodiernæ familiæ adjecta.

8. Elector & Palatinus Rheni S. Rom. Imperii Archithesaurarius, diadema Imperiale in Scuto rubro pingit. Hæc Dignitas pace Westphalica 1648. primum, constituta.

9. Elector & Dux Brunsvvicensis S. Rom. Imperii Archi-
- - - - (Signiferum fore volunt sed nec de hoc nec
de discretivo Electorali adhuc certo constat.) Collata nuper
rimè hæc Dignitas 1692. die 17. Octobr.

ELECTOR
ELE-



ELECTOR MOGUNTINUS.

INter Ecclesiasticos primus , Collegii Electoralis Decanus & per Germaniam Archicancellarius est. Qui nunc Moguntinensem Diœcesin regit est Reverendissimus *Anshelmus Franciscus Fridericus* , natus ex familia equestri Rhenanâ *Ingelheimiorum* â pluribus seculis incluta, electus Canonorum suffragiis 1679. die 7. Novembris.

Scutum , quo utitur, quadripartitum est. 1. & 4. Rotam Moguntini Archiepiscopatus exhibet. 2. & 3. Crucem Tessellatam ex auro & minio in solo atro Familiæ ab Ingelheim ostentat.

Galea

Galea incumbunt tres : 1. Super culcitram Coecineam premit mitra Archiepiscopalis. 2. Super pileo Electorali rotam Moguntinam sustinet. 3. Alis expansis Ingelheimiis exornatur. Lacinae dependent utrinque argenteae & rubeae. Additur pedum Episcopale ac ensis evaginatus potestatem Ecclesiasticam & secularem indicans.

Ecclesia Moguntina primo statim seculo Christi coepisse fertur. Episcopum primum *Crescentem*, Archiepiscopum primum *Bonifacium*, Germaniae Apostolum tempore Caroli M; Electorem primum vulgò *Willigisum* constituunt sub Ottonne III, sed hæc sententia de Electoribus ab Ottonne III. constitutis fundamento caret, nullum tamen est dubium Moguntinos Antistites ante reliquos omnes, plurimum in Electionibus Imperatorum valuisse. De Ingelheimia gente consulatur Spenerus Histor. Insignium Libr. III. Cap. XLVII. Coadjutor (ut vocant) seu futurus Successor hodierni Electoris haud ita pridem designatus est *Ludovicus Antonius*, Comes Palatinus Rheni & Supremus Ordinis Teutonici Magister, Imperatricis Augustæ & Electoris Palatini Germanus.

3. Elector & Palatinus Rheni S. Rom. Imperii Archiepiscopus, diademata Imperatoris in Scuto rubro purpureo. Hæc Dignitas post Willigisum 1645 primum, constituta.

5. Elector & Dux Rheni S. Rom. Imperii Archiepiscopus, diademata Imperatoris in Scuto rubro purpureo. (Signiferam fore voluit sed necesse non fuit de discrimine Electorali adhuc certo constare.) Collata huiusmodi hæc Dignitas 1692 die 17. Octobr.

ELECTOR



ELECTOR TREVIRENSIS.

INter Ecclesiasticos secundus, per Galliam & Regnum Arelatense f. Burgundicum Archicancellarius est. Qui hodie hac dignitate fulget, est Reverendissimus *Johannes Hugo*, ex illustri, familia equestri Juliacæ ditionis *Orsbekiorum* oriundus, in locum avunculi Caroli Casparis à Leyen, cujus jam ab 1672. Coadjutor fuerat, suffectus 1676, cum anno præcedenti, 1675, Episcopatum Spirensē jam natus esset.

Scutum ejus ex Trevirensibus & Spirensibus symbolis quadripartitum est : 1. Crux rubra Trevirensis. 2.

fig. 2. Agnus vexillifer Prumiensis monasterii atq,

sis. 2. Agnus vexillifer Prumiensis monasterii atq,
Abbatia in Ardenna sylva, quæ jam ultra seculum,
ab 1576. Archiepiscopatu constanter juncta fuit.
3. Castellum cum corona & pedo Præposituræ Weif-
senburgensis, quæ jam ab 1545. Episcopatu Spirensi
incorporata mansit. 4. Crux argentea Spirensis.
5. Orsbekiorum tessera gentilitia, decussis cum qua-
tuor foliolis viridibus.

Galea 5. eminent. 1. Tiara Archi-Episcopalis.
2. Crux Trevirensis in Tab. octangularem pennis orna-
ta, super mitra Ducali. 4. Spirensis similiter orna-
ta super culcitra. 3. Ex corona jugum alarum
cum agnello Prumiensi & castello Weissenburgensi.
5. Caput equinum rubro refrenatum familiae Ors-
bekiæ. Additur Laciniis rubris & argenteis pedum
Ecclesiasticæ & gladius secularis potestatis.

Episcoporum Trevirensium primum *Eucharium*
ê numero LXXII. discipulorum Christi; Archiepisco-
porum primum *Agricius* ab Helena Constantini M.
matre destinatum nominant; Electorem primum
autem, *Ludolphum* Saxonem, si communi sententiæ
fides habenda.

ELECTOR



ELECTOR COLONIENSIS.

INter Ecclesiasticos tertius, per Italiam s. Regnum Longobardicum & reliquias veteris Imperii Romani Archicancellarius est. Qui nunc in eo culmine consistit, est Reverendissimus pariter ac Celsissimus *Josephus Clemens*, Dux utriusque Bavarix ac Palatinatus &c. Potentissimi Electoris Bavari frater unicus, in locum patris Maximiliani Henrici, frustra pro Fürstenbergio ringentibus Gallis, electus 1688. & veniâ ætatis donatus à Pontifice Innocentio XI. cum natus 1671. die 5. Decembr. tunc nondum 17mum annum complevisset. Destinatus jam ante ab 1685. ei erant Episcopatus Frisingensis & Ratisbonensis, quos pater Albertus Sigismundus vacuos reliquerat, quorum administrationem nunc quoque capessivit, perinde ut Præposituræ

B 2

Berch-

Berchtolsgadensis, quam Maximilianus Henricus quoque

Berchtolsgadensis, quam Maximilianus Henricus quoque possederat.

Hujus *Scutum*, cum præter Coloniensem, etiam Hildesensem, Leodiensem, Monasteriensem Episcopatus & ditiones seculares haud paucas possideret, amplissimum erat, quod videre, quamvis nondum integrum, licet ap. Spen. Tab. XXVI. Verum cum plurimæ ex istis ditiones nunc ad alios Dominos dilapsæ sint, crediderim ferme, hodiernum Electorem vix alio Scuto uti, quam quo antea Electores Colonienses ex familia Bavarica usi sunt, quodque hæc exsculptum est, in quo: 1. Crux nigra Coloniensis, 2. Equus effrenis Westphaliæ, ab Hengisto & Horfo Saxonum Ducibus Secul. V. originem trahens, in quorum potestate etiam Westphalia fuit, usque dum 1180. Henricus Leo Dux à Friderico Barbarossa Imperatore proscribitur plurimis ditionibus mulctaretur, ex quibus Westphalia cum Angriâ Archi-Episcopo Coloniensi, tunc Philippo Hinterspergio, fuit concessa; Initio Niger hic equus erat, sed postea in album mutatus, cum Christiana sacra Saxonum genti illata, sub Carolo M. Imp. 3. Tria corda vel folia Angrivariæ s. Angriæ de quibus infra in Saxonis scutis. 4. Aquila Arnsbergici Comitatus indicium. Media parma Electoris gentilitia, ex 1. 4. Bavaricis rhombis, & 2. 3. Leone Palatino componitur. (Frisingensis & Ratisbonensis Episcopatum discretiva, si huic Scuto addenda sint, dabimus illa mox inter Episcopos Berchtolsgadense duas claves argenteas decussatim locatas in rubro exhibet.)

Tegit hunc clypeum Tiara Archi-Episcopalis cum cruce, additur gladius & pedum, nec non telamones Gryphus & Leo.

Episcoporum Coloniens. primus *Maternus* fuisse fertur viduæ Nainiticæ filius, Archi-Episcoporum, *Agilolphus* 717. Martyrio affectus; De Electoratus initio parum constat; Otto autem I. Imp. fratri *Brunoni* Archi-Episcopo secularem potestatem concessit.

REX



REX BOHEMIÆ ELECTOR.

INter Seculares Primus, S. Rom. Imperii Archipincerna. Hanc Dignitatem ipse *LEOPOLDUS Imperator Augustissimus* adhuc sustinet, Hungarico Regno in filium *Josephum Romanorum Regem* translato. Coronatus autem fuit Rex Bohemiæ, vivo adhuc Parente Ferdinando III. 1656. die 2. Aug.

Scutum Bohemiæ, si absque reliquis provinciis Austriacis pingatur, constat 1. Leone Regni Bohemici. 2. Aquila nigra Ducatus Silesiaci. 3. Aquila tessellata Marchionatus Moravici. 4. Muro pinato & Bove Marchionatus Superioris & Inferioris Lusatia,

fatiæ, quas parmulas nos ad latera majoris Scuti Au-
 striaci in quaternis angulis exhibuimus. 5. Simul au-
 tem reliquas provincias Archiduciales hereditarias in
 majori ob oculos ponere volumus, cum commodior
 locus vix suppeteret, ubi. 6. Regnum Hungariæ.
 7. Regnum Bohemiæ simul cum præcedenti 1526. post
 mortem Ludovici Immaturi ex priscis Pannoniæ
 Regibus ultimi, per matrimonium Sororis ejus Annæ
 ad Ferdinandum I. Austriacum translatum. 8. Casti-
 liæ. 9. Legionis. 10. Arragoniæ. 11. Utriusque Sicilia
 Regna, à Linea Austriaca Hispanica possessa. 1. Ar-
 chi-Ducatus Austriæ. 2. Ducatus Burgundiæ. 3. Du-
 catus Stiriæ, Tab. prima commemorati. 4. Ducatus
 Carinthiæ, Scuto ex Austriaca fascia & Leonibus Svevicis bi-
 pertito signatus, quod olim Svevi possederint, post Austriaci,
 quibus Ludovicus Bavarus Imperator 1331. eum contulit.
 5. Comitatus Tirolensis supra recensitus. 12. Ducatus Wir-
 tenbergicus 1519. Austriacis assertus, quamvis postea Legiti-
 mis Dominis restitutus. 13. Ducatus Sveiæ 1282. à Rudol-
 pho I. Imperatore filio Rudolpho concessus & sic ad Austria-
 cos devolutus. 14. Marchionatus Burgoviæ simul cum Svevia
 acquisitus. 15. Comitatus principali Dignitate, Habsburgicus,
 originis Austriacorum à Rudolpho I. Imp. monumentum.
 16. Ducatus Carniolæ supra narratus. 17. Comitatus Pfire-
 tensis in Suntgovia 1324. per matrimonium Johannæ heredis
 Alberto Austriaco allatus. 18. Comitatus Kyburgensis in Hel-
 vetia ex materna hereditate ad Rudolphum I. delapsus 1264.
 19. Comitatus Goritiæ in Foro Julii 1500. à Maximiliano I.
 hereditate acquisitus. 20. Landgraviatus Alsatia Rudolphi I.
 patrimonium. 21. Superior Austria supra Anasum Baviaræ
 decerpa 1156. 22. Comitatus Cilejensis 1456. à Friderico III.
 vindicatus. 23. Marchia Viadorum cum Carlniola asserta.
 24. Dominium Portenaviæ seu Portus Naonis.

Imponitur splendidissimo huic Scuto Pileus Archiduca-
 lis, quamvis singulis arcis suæ Galeæ & ornamenta peculiaria
 non desint.

ELECTOR



ELECTOR BAVARIÆ.

INter Seculares Secundus, S. Romani Imperii Archidapifer s. Truchsesius est. Illud axioma nunc multa cum gloria tuetur *Maximilianus Emanuel*, Superioris & Inferioris Bavariæ, nec non Superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergæ, Dux Brabantiaë & Gubernator Belgicarum Provinciarum à Rege Hispaniarum constitutus, qui natus 1662, post obitum parentis Ferdinandi Mariæ 1679. †. maturam ætatem nactus ditionum regimen cepessivit 1680.

Scuto uti solet quadripertito. 2. & 5. Rhombi sunt obli-

obliquè positi alternatim argentei & cærulei, originem fortasse ex antiquo vestimentorum genere trahentes, quod segmentatum & reticulatum dicebatur, cuius usus, cum aulæ Bavaricæ placuisset, etiam colores in Scuto mansere. 3. & 4. Leo est Palatinus designando Palatinatui ad Rhenum. Coniunguntur vero hæc Scuta, quod ex uno eodemque sanguine Bavari & Palatini descendant. Ludovicus enim II. cognomine Severus, Palatinus Rheni & Dux Baviaræ ex Mechtilde Rudolph. I. Imp. filia genuit, Seculo XIII. Rudolphum Electorem Palatinum (â quo Linea Rudolphina Palatinorum) & Ludovicum Bavarum, post Imperatorem huius nominis V. (â quo Linea Ludoviciana Bavarorum, quæ nunc usitatius Wilhelmina dicitur) ex quo semper communia insignia manserunt. Media parmula, dignitate I. Electorale munus Archidapiferi designat. Originem ejusmodi tradunt: Benedictus Papa Henrico II. Imp. 1012. Romam venienti pomum Mundi dedit, documento, ne mundo aliter imperaret, quam ut ipse crucis vexillo dignus tueri videretur. Hinc, cum Palatini antea Scutum tertium simplex sine figura cocco tinctum gestassent Regalium Loco, Carolus V. Imp. Friderico II. Electori Palatino 1544. pomum hoc Imperiale s. Mundi inferendum concessit. Porro, Maximilianus Bavarus 1623. in Locum Friderici V. Palatini constitutus, cum Electoratu hanc parmulam quoque ad insignia sua transtulit.

Galea insistent duæ; 1. Palatina. 2. Bavarica. Laciniæ adduntur more solito, & telamones duo Leones.

ELECTOR



ELECTOR SAXONIAE.

INter seculares tertius, S. Romani Imperii Archi-Mareschallus est. Hunc honorem nunc possidet *Johannes Georgius IV.* Dux Saxoniae, Jul. Cliv. Mont. Angr. & Westphaliae, &c. natus 1668. qui parenti successit 1691.

Scutum ejus in plurimas areolas divisum sic habet:
 1. Dignitas Electoralis, Archimareschallatus S. R. Imperii, Friderico Bellicoso, Marchioni Misniae, collata 1423. cum antea Saxo-Lauenburgici possedissent. 2. Ducatus Saxoniae, Sertum Rutaceum Trabibus Ballenstediiis impostum à Friderico I. Imperatore 1181. cum Bernhardus ex Ascaniis primus Dux Saxoniae crearetur. 3. Landgravia-
 C tus

tus Thuringiæ 1247. ab Hasfia divulsus & Marchionibus Misniæ assertus. 4. Marchionatus Misniæ, antiquissimum hodiernæ familiæ patrimonium. 5. 6. 7. Ducatus Juliacensis, Clivensis & Montensis sive Bergensis, nec non 19. 20. Comitatus Marcæ & Ravensbergæ in Westphalia, quarum ditionum expectativa Saxonibus facta 1483, extensa 1486. confirmata 1526. & 1544, sed postea prærepta cum 1609. heredibus masculis deficientibus, succedere debuissent, manentibus interim, iusto prætensionis, jure titulis atque insignibus. 8. Palatinatus Saxonæ. 9. Palatinatus Thuringiæ. 10. Lusatia Superioris, 11. Lusatia Inferioris Marchionatus, ex pacificatione Pragensi 1635. ad domum Saxoniam reductus. 12. Marchia Lansbergia in Osterlandia. 13. Comitatus Orlamundanus 1342. assertus. 14. Dominium Pleisnense in Osterlandia. 15. Burggraviatus Magdeburgensis acquisitus 1425. 16. Burggraviatus Aldenburgicus. 17. Comitatus Brenæ vel Ducatus Angriæ. 18. Comitatus Eisenbergius. 19. Locus Regalium, des *H. R. Reichs Blut Fahne*. 20. Principali dignitate Comitatus Hennebergiæ, accessit 1583.

Galea imponuntur octo. I. Electoralis Saxonica, 2. Misnica, 3. Thuringica, 4. Juliacensis, 5. Clivensis-Marcana, 6. Bergensis s. Montensis, 7. Lusatia superioris, 8. Inferioris. *Linea* autem *Saxo-Albertina*, cum præter *Electoraalem* adhuc alios tres ramos sustineat, *Querfurtensem*, *Merseburgensem* & *Citicensem* seu Naumburgensem, eadem insignia præter I. & 15. Electoratus & Burggrav. Mag. gestantes placuit eorum discretiva subjungere, quæ Scutis inferunt, ut:

Querfurtensis 1. Pro Comitatu Barbiensi; *Merseburgensis* 2. Pro Episcopatu Merseburg. *Citicensis* 3. Pro Episcopatu Citicensi.

ELECTOR



ELECTOR BRANDENBURGICUS.

Inter Seculares quartus S. Romani Imperii Archica-
merarius est & in coronatione solenni Sceptrum præ-
fert, unde & Dignitatis Electoralis hoc insigne est. Is,
qui nunc in hoc fastigio sedet est *Fridericus III.* Marchio
Brandenburgi, Dux Magdeburgi, Prussiae, Juliaci, Cli-
viæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, &c. Qui post obi-
tum gloriosissimi Parentis Friderici Wilhelmi 1688.
Sceptrum Brandenburgicum capessivit.

Scutum ejus fulgidissimum 27. areolis constat ex qui-
bus. 1. Sceptrum dignitatis electoralis 1417. in hanc fa-
miliam illatæ. 2. Aquila Marchionatus Brandenburgici

cum Electoratu acquisiti. 3. Aquila Boruffiacacirca collū
 coronata, cuius Ducatus 1525. ad Marchiones Brandeb.
 pervenit. 4. Ducatus olim Archiepiscopatus Magdeburgi
 1648. Brandeb. promissus, 1680. plene acquisitus. 5. 6. 7.
 Ducatus Juliacensis, Clivensis & Bergensis s. Montensis,
 nec non 18. 19. Comitatus Marcæ & Ravenspergi ab 1609
 appropriati. 8. Burggraviatus Norimbergensis quem jam
 à Seculo XIII. possedit incluta familia Zollerana, post
 Brandeburgica. 9. Ducatus Stetinensis. 10. Pomerania.
 11. Cassubiorum. 12. Vandalorum. 13. Dominium
 Neo-Stargardiæ. 20. Principatus, olim Episcopatus Cam-
 minensis. 21. Dominium Usedomiæ Insulæ, 22. Barthen-
 sis, 23. Wolgastensis dynastia. 24. Comitatus Guzko-
 viensis, omnes Pomeranicæ ditiones jam à. 1338. ex pa-
 ctis de successione mutua Marchiacis expectatæ, 1637.
 morte ultimi Ducis Pomeraniæ Bogislai XIV. evacuatae,
 1648. quoad Pomeraniam ulteriorem tantum cessæ, cite-
 riori in Svecorum potestate manente, unde tituli & insignia u-
 trisque communia. 14. Crosnensis Ducatus in Silesia 1476. Le-
 gatus, 15. Carnovius s. Jegerndorfensis Ducatus itidem in Sile-
 sia, de quo cum diu lis fuisset, tandem Schwibussa Duc. ante
 paucos annos in Locum illius concessus est, cuius insignia non
 multum crediderim à Carnovicis distare, cum Aquila commune
 fere omnium Silesiacarum ditionum Symbolum sit. 16. Halber-
 stadius, 17. Mindensis olim Episcopatus, nunc principatus 1648.
 in compensationem Pomeraniæ concessi. 25. Hohenzolleranus
 Comitatus nunc Principatus, originem hodiernæ lineæ deno-
 tans. 26. Rupinensis Comitatus 1524. devolutus. 27. Locus Re-
 galium ex Pomeran. successione.

Galea imponuntur 9. ex quibus 1. Electoralis Marchiaca,
 2. Burusfiaca. 3. Magdeburgica. 4. Juliacensis. 5. Clivensis. 6. Ber-
 gensis. 7. Burggraviatus Norimbergensis. 8. & 9. Una cum Viris
 sylvestribus, quorum capitibus insunt, quique Telamonum
 loco clypeum sustinent, ad Pomeraniam pertinent ex eaque
 successione huc referuntur.

ELECTOR



ELECTOR PALATINUS.

Inter Seculares quintus S. Rom. Imperii Archithesaurarius est & diadema imperiale portat ab 1648. cum antea Archidapifer pomum Imperiale præferret, quæ dignitas in Bavaros translata. Solent autem Palatini raro hoc discretivo Electorali in insignibus uti, unde nec in nostra figura apparet. Qui hodie eo axiomate pollet, est *Johannes Wilhelmus Comes Palatinus Rheni*, qui in Locum Parentis *Philippi Wilhelmi* 1690. successit.

Scutum ejus, prout à Palatinis Neoburgicis & Sulzbacensibus etiam ante susceptum 1685. Electoratum gestabatur, exhibet 1. Leonem Palatinus ad Rhenum antiquissimum Symbolum, quem 1215. Frid. II. Imperator Ludovico probo concessit, cum Parens ejus Otto Major 1180. à Frid. Barbarossa Imp. primus Dux Bavariz ex Comite Schirensi & Wittelspachio creatus esset. 2. Rhombos Bavarici Ducatus, 3. 4. 5. Ducatus Juliacensis,

sis, Clivensis & Bergensis jam aliquoties lustrata insignia 1609.
 adscita, quod hodierni Electoris avus Wolfgangus Wilhelmus
 ex Anna Juliacensi, ultimi Ducis Sorore, natus esset, 6. Leonem
 Veldentini Comitatus, qui circa 1440. Stephano Palatino per
 dotem Annæ Veldentix obtigit. 7. Marcani, 8. Ravenspergici
 Comitatus distinctiva. 9. Fasciam Meursanam s. Comitatus
 Moers ad Rhenum in quem mortua ultima Comitissa 1600.
 prætereundere Juliaci cœperunt.

Galea imponuntur quinque. 1. Palatina. 2. Bavarica. 3. Ju-
 liacensis. 4. Clivensis. 5. Bergensis.

Illa quæ 1685. morte *Caroli* Electoris defecit Linea Palati-
 na Simmerensis tribus Scutis colligatis utebatur, quorum
 1. Palatinum. 2. Bavariam. 3. Regalia denotabat, cui later-
 culo interdum etiam diadema Imperiale inferebatur. Galea
 eminebat Palatina & circumdabatur Ordo Periscelidis Anglica-
 nus, prout adjecta figura indicat.

ELECTOR.





ELECTOR BRUNSWICENSIS.

Inter seculares sextus nuper constitutus est die 17. Octobr. anni proximè elapsi 1692, decretumque Ratisbonæ in Collegio Electorali ut Nonus Electoratus admitteretur eaque dignitas *Ernesto Augusto*, Episcopo Osnabrugensi, Duci Brunswicensi & Luneburgensi ejusq; masculis heredibus conferretur. De Archi-Officio autem Electorali, deque ejus titulo & insignibus discretivis, nec non provinciis electoralibus nihil tunc adhuc determinatum fuit, quamvis de Vexillo Imperii nonnulli mentionem fecerint.

Scutum

Scutum quo aliàs Serenissimus hic Princeps usus est à reliquis Brunswico-Lüneburgicis parum differt, nisi quod in medio loco honoris diversam parmulam injectam habet, quæ in nostro typo notata num. 1. Episcopatum Osnabrugensem in Westphalia designat (cujus scutum nos quoque inter Episcopos dabimus) pace publica 1648. ita constitutum, ut alternatim Evangelicum & Pontificium Episcopum habeat, Evangelicos autem tantum ex Celsissima domo Brunsvvic. Lüneburgensi admittat, cujus constitutionis valore 1662. defuncto decessore hic Princeps diœcesin regere cœpit. Reliquæ areolæ sunt. 2. Ducatus Brunsvvicensis. 3. Lüneburgensis. 4. Comitatus Ebersteinus. 5. Homburgicus. 6. Lauterburgicus, ad quem etiam fasciæ num. 10. in parte inferiori pertinent. 7. Comitatus Hojensis & utriusque Bruchhusiæ. 8. & 9. Comitatus Diepholtini gemina tessera Leo & Aquila. 10. In parte superiori tessellas Comitatus Honsteinii exhibet. 11. Cervum Clettenbergici. 12. Cornu rubeum Reinsteinensis. 13. Cornu nigrum Blanckenbergici Comitatus sistit, de quibus singulis in Scuto Ducali Brunsvvic. Luneburg. paulo plenius dicendi spatium erit, quod heic Electoratus & Episcopatus mentio occupavit.

Galeæ imponuntur huic Scuto 5, num nova Electoralis addenda sit, tempus docebit. 1. Brunsvvicensis equum, qui vetustissimis temporibus in Scuto saiebat, nunc supra cassidem exhibens. 2. Hojensis. 3. Bruchusana. 4. Honsteinio-Lauterburgica. 5. Reinsteinio-Blanckenburgica. Scuto in decussim subjiciuntur hinc gladius, illinc pedum ad Episcopatum Osnabrugensem pertinens. Telamones, si adduntur, vel duo Viri Sylvestres, vel Leones adhibentur.

ARCHI-



**ARCHIEPISCOPUS SALISBUR-
GENSIS.**

Post Collegium *Electoralē* sequitur Senatus *Principum* Imperii, qui sunt vel *Ecclesiastici*, vel *Seculares*. *Ecclesiastici* in universum præ *Secularibus* præcedentiam obtinent & in quinque classes distingui possunt: *Archi-Episcopos*, *Episcopos*, *Magistros Sacrae equestris militiae*, *Abbatēs* & *Prælatos* quibus *Abbatissæ* accensentur ex quibus tres priores ordines tantum in hoc manuali, quoad insignia, trademus.

Archi-Episcopi superioribus seculis in Imperio 8. fuere: *Moguntinus*, *Trevirensis*, *Coloniensis*, inter *Electores* commemorati, *Magdeburgensis*, *Salisburgensis*, *Vesontinus*,

D

tinus,


tinus, Bremensis & Rigensis. Sed Magdeburgensis Archi-Episcopatus simul cum Bremensi 1648. per Instrumentum pacis Westphalicæ in seculares Ducatus mutatus fuit; Rigensis proximo abhinc Seculo Moschorum & Polonorum bellis ab Imperio avulsus & nunc Svedico Regno subjectus est. Reliqui duo adhuc superant, quamvis etiam Vefontinus à Gallis undique cinctus & ferme oppressus sit.

Salisburgensis autem Archi-Episcopus inter Ecclesiasticos hodie primus; cum Domo Austriaca, quæ sedem in scamno Ecclesiastico occupavit, alternatim directorem exercet. Qui nunc Archidicecesin moderatur est *Maximilianus Gandolphus* Sedis Romanæ Legatus natus, & Cardinalis, 1668. electus, natus ex illustri familia Carinthiaca de Khuenburg.

Scutum ejus præter Archi-Episcopales, etiam gentilitias tesseras continet, sed nos in Ecclesiasticis, quod ea quavis mutatione Præsulis novam dispositionem subeant, non nisi ipsius dignitatis insignia dare decrevimus, ut magis perenne etiam futuris usibus hoc manuale relinquatur, ideoque heic non nisi ipsius Archi-Episcopatus Salisburgensis insignia exhibuimus, quæ constant Scuto bifecto, in cujus priori parte Leo salit, in posteriori Fascia, Austriacæ omninò similis, aream permeat.

Imponitur mitra cum cruce Archi-Episcopali, addunturque gladius & pedum utriusque potestatis indices.

ARCHI-



*SUPREMUS ORDINIS TEUTONICI
MAGISTER.*

Vesontino Archi-Præsule ad sequentem lamellam
relato, nunc sequitur S. Equestris militiæ Teutonicæ
supremus Magister, qui proximus ab Archi-Episcopis
Locum, renitente quamvis Episcopo Bambergensi, in
Comitiis Imperii obtinet. Ordo hic Teutonicus, olim
Hospitalis S. Mariæ Hierosolymitanæ dictus, inter expe-
ditiones in Terram Sanctam, Seculo XI. cœpit, Xenodo-
chio in usum Germanorum popularium in ipsa urbe san-
cta exstructo. Confirmavit ordinem Papa Cœlestinus
III. 1192. Henrico VI. Imperatore intercedente & B. Ma-

D 2

riam

riam virginē patronam dedit, tesserae verò loco crucem nigram super pällio candido, cui deinde Johannes Rex Hierosolymitanus auream crucem superinduxit, Fridericus II. Imp. Aquilam Imperii honoratiori crucis loco imposuit, denique Ludovicus IX. Rex Franciæ crucis aureæ extremitates quatuor Liliis Francicis ornavit. Equites autem ab hoc Symbolo Crucigeri dicti, postea è Palæstina in Germaniam transferuntur circa 1229. & Borussia Livoniamque successu temporum occuparunt, unde proximo abhinc Seculo pulli, Mergentheimii in Franconia sedem præcipuam collocarunt. Qui nunc Magisterium obtinet, est *Ludovicus Antonius* Comes Palatinus Rheni &c. Electoris Palatini frater natus proximus & Coadjutor Archi-Episcopatus Moguntini, electus 1685. cum jam ab 1679. Coadjutor Ordinis fuisset.

Scuto eodem uti fertur, quo Sereniss. frater Elector, quod antea delineavimus, constatque ex 1. Palatinis. 2. Bavaricis. 3. Juliensibus. 4. Clivensibus. 5. Bergensibus. 6. Veldentinis. 7. Marcanis. 8. Ravenspergensibus. 9. Meursaris symbolis; substrata tamen ei cruce nigra cum aurea Liliata quatuor Locis prominente.

Galearum autem Loco pileum Ducalem plerumque saltem imponere tradunt, cui nos ad Latera apposuimus utramque Galeam coronatam Ordinis, quam præcessor ejus *Johannes Casparus* gestare solebat: 1. Modernam, quæ crucem geminam cum aquila in medio super octangularem culcitram sustinet. 2. Antiquam, quæ crucem simplicem nigram per alas argenteas diductam exhibet.

ARCHI.

ARCHIEP. VESONT : EP. BAMBERG : EP. HERBIP :



E. WORMAT :

E. SPIRENSIS.

E. AICHSTET :



ARCHI- ET EPISCOPI IM-
PERII.

A rchi-Episcopus Vesontinus seu Befantinus in Burgundia nunc est *Antonius Petrus*, natus ex familia de Grammont. Scutum Archidiecepsis est aquila aurea in solo rubeo. Imponitur mitra & crux Archiepiscop. additurque gladius & pedum, ut in sequentibus omnibus.

Episcopus Bambergensis Metropolitanus, seu nulli Archi-Episcopo subjectus, inter omnes Germaniæ primus nunc est *Marquardus Sebastianus*, Electus 1683. genus ducens ex Schenckii de Stauffenberg. Episcopatus

D 3

1007.

1007. ab Henrico II. Sancto, Imperatore instituti insigne est Leo niger cum baltheo argenteo in auro.

Episcopus Herbipolitanus, Franconiae orientalis Dux (qui tituli ab 752. conjuncti fuere) nunc est *Johannes Godofredus* electus 1684. prognatus ex Guttenbergiis. Episcopatus, circa annum 756. à Pipino Caroli M. Imp. parente instituti & brevi post cum Ducatu Franconiae coadunati, Scutum quadripartitum est ex cuspidibus argenteis & rubeis Ducatus & vexillo quadripartito Episcopatus Symbolis, cui Galea itidem gemina convenit, prima coronata, duo cornua sectione Ducalis Laterculi distincta, sustinens; altera mitra principali tecta, inter duo vexilla tres plumas, argenteam & rubras, exhibens, quarum Loco nos mitram Episcopalem imposuimus ut reliquis assimilaremus & spatio consuleremus.

Episcopus Wormatiensis nuper erat *Johannes Carolus* ex Baronibus de Franckenstein 1691. defunctus, in cujus locum alium electum esse, non memini me audivisse, capitulo vastatricibus Gallorum armis ad incitas ferme redacto & in nova electione fortasse dubio. Olim Archi-Episcopatus Wormatiæ hærebat, qui post Moguntiam translatus est. Scutum nigrum continet clavem argenteam & Lappillos tetragonos aureos.

Episcopus Spirensis nunc idem est, qui & Elector Trevirensis, *Johannes Hugo* electus 1675. Episcopatus, jam 398. ut volunt, fundati post 610. restaurati Scutum continet crucem argenteam.

Episcopus Aichstetensis in Franconia ab 1685. fuit *Johannes Eucharis* ex Schenkiis de Castel. Episcopatus Seculo VIII. à Bonifacio Archiep. Moguntino fundati parmam exornat pedum Episcopale argenteum.

EPISCO-

EP: ARGENTIN: EP: CONSTANT:



EP: AUGUST.



EP: FRISING:



EP: RATISBON:



EP: PAS SAV.



EPISCOPI S. ROM. IMPERII.

Epis copatus Argentinensis jam Seculo IV. institutus creditur, cui 1359. Landgraviatus Alsatiæ accessit, ex quibus dignitatibus *Scutum* Argentinense quadripartitum est; Baltheus enim simplex Episcopatum, fimbriatus seu reticulatus Landgraviatum designat. Qui nunc tenet est *Wilhelmus Egon* Fürstenbergicus.

Episcopatus Constantiensis in urbe Vindonissa ortus, Seculo VI. Constantiam translatus est. Scutum ejus cruce argentea in rubro solo constat. Episcopus 1645. constitutus fuit *Franciscus Johannes*, ex Prasbergiis, Cujus post diurnam administrationem, vices suscepit *Alexan-*

Alexander Sigismundus Comes Palatinus Rheni, Electoris Palatini frater tertius, Coadjutor electus 1681. Sedem habet Merspurgi ad Lacum Bodanicum.

Episcopatus Augustanus Seculo III. cœpisse fertur. Scutum ejus ex cocco & argento bipartitum est. Episcopus 1665. in Locum Sigismundi Francisci Archiducis Austriae, ad conjugium animum adjicientis, constituebatur *Johannes Christophorus* ex Freybergiis, cujus partes suscepit idem *Alexander Sigismundus* Palatinus heic quoque Coadjutor electus 1681. Sedes Episcopalis Dillingæ est.

Episcopatus Frisingensis in Bavaria Seculo VIII. ortus, à monte Fruxino, post cœnobio, nomen habet. Scuto utitur argenteo in quo caput Æthiopis nigrum auro coronatum & veste coccinea quoad collum & humeros tectum, cernitur. Episcopus in locum *Alberti Sigismundi* Bavarici 1685. rebus humanis exempti constitutus est *Josephus Clemens* Bavaricus, Elector Colonienfis.

Episcopatus Ratisbonensis originem quidem vetustiorē habuit, sed Seculo VIII. demum à Bonifacio Archiep. Mogunt. plenè confirmatus est 740. Scutum ejus rubrum baltheo argenteo insignitur. Episcopus idem est, qui Fruxinensis, n.p. *Josephus Clemens* Elector Colonienfis Alberto Sigismundo etiam in hoc suffectus.

Episcopatus Passaviensis originem debet Laureacensi Archi-Episcopatu, qui jam Seculo V. floruit & post Salisburgum translatus est, Episcopatus vero Passaviae restitutus Seculo VI. ad finem vergente. Scutum ejus argenteum Lupum continet rubeum seu exoriatum. Episcopus *Sebastianus* ex Comitibus de Poettingen 1673. electus erat, in cujus locum, si rectè memini, Comes de Lamberg ante aliquot annos successit.

EPISCO-

EP HILDESH:



EP. PADERB:



EP. MONASTER:



EP. LEODIENS:



EP. OSNABRUG:



EP. LUBEC:



EPISCOPI S. ROM. IMPERII.

Epis^opatus Hildesheimensis s. Hildesiensis à Carolo M. Imper. institutus & à filio ejus Ludovico Pio Hildesiae fundatus est Seculo IX. incunte. Scutum ejus ex argento & minio bipartitum est. Episcopus usque ad 1688. heic erat *Maximilianus Henricus* Elector Coloniensis, sed eo extincto, is, qui haectenus Decanus Collegii Canonorum fuerat, *Jodocus Edmundus* à Brabeck in locum successit.

Episcopus Paderbornensis itidem à Carolo M. fundatus exeunte Seculo VIII, in Scuto rubro exhibet crucem auream. Episcopus post *Ferdinandum Fürstenbergium* 1683. constitutus est *Hermannus Wernerus* Liber Baro Wolff Metternich in Gracht. E Epi-

Episcopatus Monasteriensis eundem fundatorem agnoscit eodem ferè tempore, prius Mimingerodensis, post circa 1050. Monasteriensis appellatus. Per Scutum ejus cæruleum transit fascia aurea quamvis nec huic, nec Paderbornensi alia etiam desint ob diversas ditiones insignia, quæ tamen heic explicare angustia prohibuit. Episcopus post *Maximil. Henricum* Colonensem 1688. electus est *Christianus* Lib. Baro à Plettenberg.

Episcopatus Leodiensis prima fundamenta jam in eunte Seculo II. jacta fuisse volunt, sed 312. demum peculiarem Episcopum accepit, cujus successores Seculo V. Trajectum ad Mosam sedem transtulerunt unde 709, Leodium relata hætenus fixa mansit. Scutum ex Leodiensi Episcopatu, Bullionensi Ducatu Franchimonti Marchionatu & Loffensi Comitatu quadripartitum esse solet, ex quibus nos columnam ipsius Episcopatus symbolum tantum exhibuimus. Episcopus post *Max. Henricum* 1688. heic constitutus est *Johannes Ludovicus*, Baro ab Elderen.

Episcopatus Osnabrugensis etiam à Carolo M. ex eunte Seculo VIII. fundatus est. Scutum ejus & conditionem, per pacem Westphalicam constitutam, supra vidimus ut & Episcopum *Ernestum Augustum*, nunc Electorem Brunsvicensem.

Episcopatus Lubecensis Oldenburgi in Wagria ab Ottone I. Imp, institutus Seculo Xmo; post, Friderico I. Imp, annuente, ab Henrico Leone Lubecam translatus est, Seculo XII. Scutum ejus cæruleum, cucem auream mitra Episcopali tectam exhibet. Episcopus hodiernus est *Augustus Fridericus*, qui fratri *Christiano Alberto*, Duci regenti Slesvici & Holsatiæ, ultro cedenti, 1665. successit.

EPISCO-

EP: TRIDENT: EP BRIXEN: EP: BASIL:



EP: CUR: MAG: ORD: IOH: ABB: FULD:



EPISCOPI S. ROM. IMPERII.

Epis^opatus Tridentinus primo Christi Seculo initia cepisse creditur; Theodosius postmodum Imperator circa 398, eundem auxit & Carolus M. nonnulla addidit. Scutum argenteum aquilam exhibet nigram sanguineis guttis conspersam. *Francisco* Episcopo anno superiori 1692. die 9. Decembr. successit *Josephus Victorius* ex familia de Albertis oriundus.

Episcopatus Brixinensis circa annum 360. Sabionæ institutus, post Brixiam sive Brixinum, incertum quo tempore, translatus est. Scutum ejus ostendit agnum vexilliferum, quem Paschalem vocant. Episcopus haud ita pridem erat *Paulinus*.

Episcopatus Basileensis initio Rauracensis dictus ab Augusta Rauracorum, ex cuius ruderibus Basilea crevit, seculo Vto; quo etiam sedes Præfulum translata fuit, ex quibus jam aliquis 346. commemoratur. Scutum argenteum exhibet figuram nigram, quam non facile nominaveris, quidam instrumentum piscatorium censent. Qui nunc Episcopali dignitate fulget est *Johannes Conradus* electus 1656, natus ex equestri familia de Roggenbach. Sedem habet Bruntruti, postquam Basilea se in Libertatem vindicavit & Helvetico foederi subscripsit.

Episcopatus Curiensis quibusdam ab ipso Petro Apostolo fundatus creditur, alii tamen initia ad 440. referunt. Scutum argenteum capricornum salientem nigrum sistit, quod genus animalium in Rhetiâ, ubi situs Episcopatus, frequentissimum est. Episcopus 1661. electus est *Ulricus* è familia de Monte, qui, num adhuc superet, non satis cognitum habemus.

Magisterium Ordinis Johannitici per Germaniam pars est incluti *Ordinis Johannitici* Seculo XI, inter expeditiones in Palestinam, instituti, qui ab Insula Rhodo, 1308. à S. hac equestri militia occupata, olim *Rhodisius*, post, cum 1523 à Turcis inde pelleretur, ab Insula Malta 1530. concessa, *Melitenensis* dictus fuit. Cum enim hic ordo in 8. Nationes seu Linguas distingueretur, *Germanica* quoque *Lingua Prior* aliquis, seu *Magister*, aut *Magnus Ballivius* primùm constitutus est 1428, cujus successores prædia Ordinis, quæ Ballivias seu Commendaturas dicebant, administrarunt, quamvis plurima pars ipsis successu temporum erepta fuerit. Scutum coccineum ordinis exornat crux argentea. Hodiernus Magister est Hermannus de Wachtendonck electus 1683.

Abbatia Fuldensis an. 740. instituta, inter omnes Germaniæ prima, hanc dignitatem habet, ut ejus Præsul Divæ Augustæ Archicancellarius, per Germaniam & Galliam Primas, Salutetur. Hodiernus est *Placidus von Drost*. Symbolum: Crux nigra.

DUCES



DUCES BAVARIÆ.

ENumeratis Principibus Ecclesiasticis, ad Seculares
 progrediendum est, qui itidem diversæ sunt dignita-
 tis, commodissime autem distinguuntur in Antiquos
 Principes (sive Duces s. Marchiones, sive Landgravii &c.
 vocentur) in Recentiores Principes, absolutè sic dictos &
 Comites, quibus & Liberi Barones nonnulli accensentur.
 In primo ordine decem adhuc hodie florent familiæ in-
 ter quas primum locum in Comitibus Imperii obtinet *Pa-*
latino - Bavarica, cujus præter utrumque Electora-
 lem adhuc alii superant rami.



Dux Bavaria præter Electorem & fratrem Colo-
niensem nunc, saltem unicus, matura ætate, est *Maximi-
lianus Philippus*, filius Maximiliani Electoris, natus
1638, in conjugio quidem, sed sterili vivens, Pfreimbæ
in Landgraviatu Leuchtenbergensi.

Scutum ejus in 1. & 4. Bavaricos rhombos, in 2.
& 3. Leonem Palatinum exhibet, visa jam supra Sym-
bola.

Galea itidem notæ sunt: 1. Palatina. 2. Bavarica.
Laciniæ hinc ex rubro & atro, illinc ex argento & cæ-
ruleo.

Olim in plures ramos diffusa erat domus Bavarica
ex quibus *Brandenburgicus*, *Ingolstadiensis*, *Lands-
hutanus* & *Bavaricus* dudum defecerunt, solus *Mena-
censis* superat. Omnes autem Ludovicum V. Impera-
torem communem patrem agnoscunt.

PALA



PALATINI BIPONTINI.

INter Palatinas Lineas, post Lauterensem & Simmerensem aliasque emortuas primum post Electoralem (quæ nunc est Neoburgica, ad quam Solisbacensis etiam pertinet) locum obtinet *Bipontina*, cujus caput nunc est *CAROLUS XI.* Svedorum Rex Potentissimus, alibi nobis commemorandus.

Scutum quo Agnati ejus Bipontini utuntur, in medio bisectum est, in priori parte sunt symbola Palatina, ut 1. & 4. Palatinatus, 2. & 3. Bavaria, 5. Com. Veldentinus

tinus ; in posteriori Juliacensia , ut 6. Juliacum. 7. Clivia. 8. Bergen : 9. Marca. 10. Ravenspetg. 11. Moers, in quas ditiones prætere cœperunt Bipontini, quod Magdalenam Juliacensem Johannes I. Bipontinorum hodiern. communis parens uxorem habuerit.

Galeæ insunt quinque : 1. Palatina. 2. Bavarica. 3. Juliacensis. 4. Clivensis. 5. Bergensis.

Palatini omnes ex *Ruperto* Imperatore 1410. †. tanquam communi patre descendunt. Ex ejus filiis Ludovicus II. Lineam *veterem Electoralem* condidit, quæ seculo proximo in ejus abnepote Henrico Ottone exaruit. Alter vero filiorum Stephanus Lineæ *prisca Bipontina* fator fuit, quæ in hujus filiis Friderico & Ludovico Nigro iterum bifecta est. Ex Friderico orti *Simmerenses* cum Carolo Electore 1685. desierunt. Ex Ludovico natus *Alexander* hodie superantes omnes profecit.

PALA-



*PALATINI BIRKENFELDENSES SEU
SPANHEIMII.*

Bipontinos excipiunt *Palatini Birckenfeldenses*,
quorum præcipuus nunc est *Christianus II.* Comes
Palatinus Rheni, &c.

Scutum ejus itidem in medio bipartitum est, ita ut
in anterioribus Palatina symbola alternatim disponan-
tur, 1. & 4. Palatinatus, 2. & 3. Bavaria: in posteriõri-
bus reliqua insignia fulgeant. 5. Comitatus Veldenti-
nus. 6. Comitatus ulterior Spanheimius, qui 1437, de-

F

ficien-

ficientibus Comitibus propriis, ad Veldentinos, & his quoque brevi post extinctis, ad Palatinos simul cum Veldentino Comitatu devolutus est. 7. Comitatus Rappolsteinius, morte ultimi Comitis Johannis Jacobi 1673. ad generum Christianum devolutus. 8. Comitatus Hohenaccius cum præcedenti eodem jure acquisitus.

Galea imminent sex: 1. Palatina. 2. Bavarica. 3. Veldentina. 4. Spanheimia. 5. Rappolsteinia. 6. Hohenaccia.

Alexandri Palatini filius natu major fuit Ludovicus, qui Bipontinam Lineam continuavit. Hoc natus Wolffgangus per tres gnatos tres novas Lineas fundavit, nempe per Philippum Ludovicum *Neoburgenses*, per Johannem *Bipontinos* strictè sic dictos & per Carolum *Birckenfeldenses*, de quibus nobis heic sermo est.

PALA-



**PALATINI LAUTERECCENSES SEU
VELDENTINI.**

Postremum inter Palatinos Locum obtinet Linea Veldentina, à sede etiam Luzelsteinia, dicta quam hactenus ut caput ornavit *Leopoldus Ludovicus* Comes Palatinus Rheni &c. &c.

Scutum ejus nihil novi habet, sed omnium simplicissimum est, constans 1. & 4. Palatinis. 2. & 3. Bavaricis & 5. Veldentina parmulâ.

F 2

Galea

Galea etiam duæ tantum sunt. 1. Palatina & 2. Bavarica, quibus Laciniaë solito colore circum volitant.

Eadem dispositione ex Birckenfeldensibus etiam Johannes Carolus Palatinus ferme utitur, solo Spanheimensi symbolo adjecto, cum Rappolsteinia & Hohenaccia ad ipsum non pertineant.

Cæterum Alexandri Palatini, communis hodiernorum fatoris, filius natus minor erat Rupertus, à quo hic ramus Lautereccensis seu Veldentinus propagatus est. Hæc de domo Palatino-Bavarica, quæ, quamvis adhuc plures palmites sustineat, multum tamen à vigore pristino remissit, & post diversas Lineas, hoc seculo emortuas, reliquarum rariones surculos saltem ostendit.

DUCES



DUCES SAXONIÆ.

SECUNDUM locum inter Antiquos Principes obtinet
 Celsissima domus Saxonica, quæ jam à Seculo XV. in
 duas Lineas divisa fuit: Ernestinam & Albertinam, ex qui-
 bus Ernestina nascendi sorte præpollens, Electoratum
 gessit usq; ad 1547, quo Johanni Friderico Magnanimo
 Imp. Carolus V. eundem eripuit & in Agnatos Albertinos
 transtulit, qui hucusq; possident. Eorum Lineas & tam
 communia, quam discretiva insignia supra in Electore
 Saxonix recensuimus; Nunc Ernestinorum arma quoq;
 lustranda veniunt, qui hoc Seculo in Vinariensem &
 Gøthanum ramum divisi fuerunt, ex Vinariensi etiam
 Isenacensis nunc superat, quorum insignia nonnihil dif-
 ferunt,

ferunt, dabimus autem præcipuè hoc loco Vinariensia, omnibus communia & his discretiva Isenacensia & Gothana subjungemus.

Scutum itaq; Ducum Saxoniae Ernesto-Vinariensium sequentibus distinguitur areolis : 1. Est Ducatus Saxoniae. 2. Landgraviatus Thuringiae. 3. Marchionatus Misniae. 4. Ducatus Juliacensis. 5. Clivensis. 6. Bergensis. 7. Palatinatus Saxoniae. 8. Palat. Thuringiae. 9. Marchia Lansbergia. 10. Comitatus Orlamundanus. 11. Dominium Pleisnense. 12. Comitatus Eisenbergius seu Isenburgius in Osterlandia 1395. comparatus. 13. Burggrav. Altenburg. 14. Comitatus Brenæ, qui olim ad peculiare Dominos, post ad Ascanios pertinuit, seculo autem XV. cum Electoratu ad Frid. I. Elect. devolutus est ; 15. Marcanus. 16. Ravenspergius Comitatus. 17. Regalia s. vexillum sanguineum Imperii. 18. Comitatus Principifatus Hennebergiae, cujus pars Coburgensis jam Sec. XIV, reliqua 1583. morte Georgii Ernesti ultimi Principis ad Saxones devenit.

Linea *Saxo-Isenacensis* à Johanne Georgio orta, ob conjugem ejus Johannam, Ernesti Comitis Saynio-Witgensteinii filiam & heredem, quatuor Laterculos addit, quos nos in peculiari parmula expressimus, ubi. 1. Comitatum Saynensem. 2. Witgensteinium. 3. Dominium Homburgium. 4. Freisburgium denotat.

Linea *Saxo-Gothana* ab Ernesto Duce orta, itidem duabus areolis *Scutum* auxit : 1. Rhomhildensi & 2. Thonnensi Dynastia à Waldecciis haud ita pridem acquisita.

Galea ab omnibus eadem adhibentur : 1. Saxonica. 2. Misnica. 3. Thuringica. 4. Juliacensis. 5. Clivensis. 6. Bergensis.

MAR-



DUCES BRUNSWICO-LUNEBURGENSES.

Quartus inter antiquissimos Principes locus debetur Sereniss. familiae Guelphicae, quae haecenus post Electorales domos immediatè, nunc inter ipsas commemoratur. Electoralem dispositionem armorum supra proposuimus, nunc reliquarum Linearum, tam Guelpherbuttelanae, quam Cellensis dabimus, nihil ferme inter se discrepantes.

In Scuto itaq; Brunsvvico-Lüneburgensi: i. Duo Leones vel Leopardi Ducatum Brunsvvicensem notant, quos Henrico Leoni Richardus Rex Angliæ focer ex scuto Britannico dedisse fertur, quosque post. 1235. Frid. II. Imp. Ottoni ejus nepoti Moguntiaë confirmavit, cum

G

Ducis

Ducis Saxoniae abdicasset & Brunsvvicensis adsumpsisset titulum. 2. Leo inter corcula saliens Ducatus Luneburgensis, quem olim Billingianorum Ducum Saxoniae fuisse volunt, unde per matrimonium Wulfildis Sec. XII. ad hanc gentem transiit. 3. Leo Ebersteinii Comitatus, quem circa finem Sec. XIV. Hermannus Comes genero Ottoni Brunsvvicensi legavit, quod filius Otto ob patrum homicidium aufugisset. 4. Homburgius Comitatus Sec. XV. in potestatem delapsus, quod Henricum ultimum Comes Ebersteinus inter ipsa sacra trucidasset. 5. Lauterburgicus Comitatus, ad Hercyniam, Sec. XIII. ad Brunsvv. delapsus, sed Comitibus Hohensteiniis iterum feudo concessus, quibus 1593. deficientibus ad antiquos Dominos simul cum reliqua hereditate devolutus est. Huc pertinent etiam duae fasciae num. 9. loco inferiori. 6. Hojensis Comitatus pedibus ursinis notatur, cui utriusque Bruchhusiae Comitatus, fasciis & cruce expressus, alterna serie adjungitur, quibus Brunsvv. aucti fuere 1583. † Ottone Comite ultimo. 7. & 8. Diepholtinus Comitatus morte ultimi Com. Friderici 1585. ad Brunsvv. feudi Dominos relapsus. 9. Parte superiori tessellae Comitatus Honsteinensis, in quem à 1593. prætendere coeptum. 10. Dynastia Lahr & Clettenberg. 11. Comitatus Reinsteinensis. 12. Com. Blanckenbergicus, qui ad Honsteiniam successionem pertinent, de qua multi participare laborarunt.

Discretivum in Wolffenbüttelano Scuto nullum deprehendi, nisi quod duo cornua cervina interdum conjunguntur.

Galea effulgent quinque ex quibus: 1. Brunsvvicensis, ante Columnam, inter falces Sichelsteinias, sustinet eqvum Saxo-Westphalicum, super quem cauda pavonina cum Stella eminet, 1504. Erico Duci à Maxim. I. Imp. data. 2. Hojensis. 3. Bruchhusana. 4. Honsteinio - Lauterburgica. 5. Reinsteinio Blanckenburgica.

DUX



*DUX BREMÆ, VERDÆ, STETINI,
POMERANIÆ, &c.*

Interferendus hoc loco antiquis Principibus est Rex Svedorum Potentissimus, inter Palatinos, ob originem jam nobis commemoratus, heic ob amplas, quas in Germania possidet, provincias iterum recensendus. Locus ei in Comitibus Imperii inter Palatinos & quidem ante Bipontinos competit, ratione Ducatus Bremensis, sed respectu Pomeraniæ, post Brunsvvicenses inter Domos alternantes collocatur. Spatio igitur in hoc manuali Heraldico quam maxime servientes, sine præcedentiæ consideratione, Electorales familias ordine præmittere & hinc Sveo - Germanica Scuta junctim proponere volui-

mus, quæ alias separatim gestantur, tam Bremensia, quam Pomeranica; Wismariensia autem raro adduntur, quæ tamen inseruisse Lectori saltem ingratum non erit.

Scutum itaque Brema-Verdense in monetis & figillis bipartitum est. 1. Claves aureas in decussim positas exhibet Bremensis olim Episcopatus Sec. VIII. à Carolo M. fundati, mox à filio Ludovico Pio in Archi-Episcop. conversi, hoc seculo 1632. à Svecis bello occupati 1648. in Ducatum secularem mutati & pace Westphalica Svecis cessi, antiquum symbolum. 2. Crucem atram pedatam in argento sinit, Verdensis olim Episcopatus, nunc itidem Ducatus 1648. cessi, tesseram.

Scutum Pomeranicum decem areolis gaudet, ex quibus 1. Ducatus Stetinensis. 2. Pomeraniæ. 3. Cassubiæ. 4. Vandalia. 5. Principatus Rugiæ, qui tantum in Svedico scuto cernitur, cum reliquæ quadræ omnes etiam in Brandenburgico fulgeant. 6. Uedomia Insula. 7. Comitatus Guzkoviensis. 8. Terra Barthensis. 9. Terra Wolgastensis. 10. Vexillum sanguineum. Omnes hæc tesserae à Ducibus Pomeraniæ gestabantur, quibus 1637. deficientibus, ad Svecos cum parte provinciarum 1648. perpetuo jure transferunt.

Scutum Wismariense geminatum est: 3. Urbem & territorium denotat capite bovino dimidio ex Mecklenburgicis insignibus mutuato. 4. Aplustre est Wismariense portus ad Mare Balticum designans. Accessere hæc itidem 1648.

Galea loco in monetis superimponi solet corona Regia clausa, ex qua tamen eminet 1. Galea coronata cum cauda pavonina Stetinensis, ad latus vero in Telamonum Sylvestrium capitibus, 2. est Pomeranica, 3. Rugiana, qua propterea etiam Blandenburgici non utuntur, cum reliquis duas adjiciant.

DUCES



DUCES MECKLENBURGESES.

Quinta antiquarum familiarum Ducalium, inter domos alternantes prima est Mecklenburgensis, à priscis Obotritorum Venedorumque Regibus oriunda, quorum ultimus Pribislaus ab Henrico Leone debellatus Seculo XII. cum corona etiam gentilismum deposuit & Christiana sacra amplexus est. Carolus deinde IV. Imperator 1349. posteros ejus Albertum & Johannem ad Ducalem & Principum Imperii dignitatem evexit, in Comitibus Pragensibus, qua adhuc hodie fulgent.

Scutum Mecklenburgense sic disponitur : I. Nigro capite bovino, cornibus & annulo per nares argenteo

G 3

coro-

coronaque rubra ornato ipsum Ducatum Mecklenburgensem denotat. Vulgo Bucephali, vectoris Alexandri Magni, caput esse tradunt, quod Anthyrius quidam ex Ducibus Alexandri in hasce oras delatus attulerit, sed verius genuinum & antiquissimum Obotritorum & Henetorum hoc Symbolū dixerim, Fortitudinis & constantiæ emblemata. 2. Grypho aureo (quem alii itidem ab Anthyrio accersunt & in prora navigii ejus constituisse ferunt, ego verò à gryphis Pomeranicis, cum pars notata Pomeraniæ aliquando adhæserit, rectius derivandum censuerim) Principatum Vandalicæ, seu vetustæ gentis Henetæ designat, non Rostochiense Dominium, quod plurimis rationibus demonstrari posset, si hæc angustia pateretur. Hic Principatus, cum per duo secula ferme peculiare Dominos habuisset 1430. ad agnatos Mecklenburgi relapsus est. 3. Sverinensem, olim Episcopatum (circa medium Sec. XI. in urbe Megapoli fundatum, circa 1170. Sverinum translatum) nunc Principatum connotat, 1648, ad statum secularem redactum & Ducibus pro Wismaria concessum. 4. Raceburgensem olim itidem Episcopatum (sub Henrico IV. Imp. fundatum) nunc eodem fato Principatum, repræsentat. 5. Comitatus est Sverinensis, seculo XII. ab Henrico Leone Gvelfhico conditus, sed sub finem XIV. per matrimonium Richardis Alberto Mecklenb. allatus. 6. Dominium Rostochiense designat & olim ipsam urbem quoq; notavit, quæ tamen post Gryphum in fascia superiori a plustris gradientem sæpius adhibuit. 7. Stargardiæ Comitatum indicat, ex Marchianis ditionibus adjunctum.

Galearum 1. est Mecklenburgica. 2. Venedica seu Heneta. 3. Stargardia. 4. Sverinensis. 5. Raceburgensis. Telamones adduntur Bubalus & Gryphus.

DUCES



DUCES WIRTENBERGENSES.

Sexta priscarum familiarum, alternantium secunda, est Wirtenbergensis in Svevia, cujus conditor Conradus ex Beutelspachio Dynasta Sec. XI. ab Henrico IV, Imp. primùm Comes Wirtenbergensis creatus est, ex cujus posteris, multa bonorum accessione auctis, Eberhardus VI. Barbatus, is qui Tubingensem Academiam 1477. fundavit, à Maximiliano I. Imp. 1495. in Comitibus Wormatiensibus primus Dux Wirtenbergensis & Tec-censis declaratus est, quæ dignitas in posteritate adhuc floret.

Scutum ejus quatuor areolis constat. 1. Tria cornua cervina exhibet ipsius Ducatus olim Comitatus Wirtenbergensis,

bergensis, cui Sec. XIII. Uracensis incorporatus est, prioris Scuto, posterioris Galea in insignibus servata. 2. Rhombis aureis & nigris Ducatum Teccensem designat, 1376. & 1385. ab Eberhardo III. partim ære acquisitum, partim ultro delapsum. 3. S. Rom. Imperii Labarum seu vexillum est, quod Ludovicus V. Imper. Ulrico IV. Comiti 1336. contulit, unde Wirtenbergenses Signiferi Imperii dicti fuere. 4. Duabus trutis aureis Comitatum Montispelicardensem innuit, quem Henrietta Montbelgardensis marito Eberhardo V. Juniori Wirtenb. in eunte sec. XV. attulit. Hoc seculo in plures ramos familia abiit, ex quibus reliqui idem scutum servant, sed Silvii Nimrodi Ducis prosapia ob conjugem ejus Elisabetham, Mariam Ducatus Oelsnensis in Silesia heredem, cordi prioris scuti aquilam Silesiacam imponere solet, quam nos ad latus expressimus.

Cassides tres incumbunt: 1. Uracensis seu Wirtenbergensis, quas provincias sibi incorporatas diximus, 2. Teccensis & 3. Montpelicardensis.

LAND-



LANDGRAVII HASSIÆ.

SEPTIMO inter vetustas Principum Germaniæ domos, tertio inter alternantes, loco Landgravios Hasfiacos recensēbimus, quorum antiquior Linea 1248. cum Henrico Raspone, à nonnullis electo Romanorum Rege, defecit, sed hodierna ab Henrico Brabantino, quem Infantem Hassiæ nominabant, eodem tempore incepit. Patrem is habebat Henricum II. Magnanimum, Ducem Brabantiaë, matrem Sophiam, Ludovici Landgravii Thuringiæ & Hassiæ (quæ ditiones antea conjunctæ, sed illo tempore divulsæ fuerunt) filiam, unde materno jure in Hassiâ successit. Ex posteris ejus Philippus

H Magna-

Magnanimus superiori seculo inclutus, hodiernorum communis pater est, tam *Casselsenium*, quam *Darmstadinorum*.

Scutum utriusque Lineæ fermè idem est. 1. Leo Hassiacus fasciatus, qui & Thuringiam denotat, ut in Saxonis vidimus, evidenti, has provincias olim co-hæsisse, documento. 2. Crux duplicata Hirschfeldensis olim Abbatia (737. fundata) nunc Principatus, pace Osnabrugensi 1648. in hunc statum secularem redacti. 3. Comitatus Ziegenhainensis, Johanne ultimo Comite 1453. †, ad Ludovicum Hassiacum delapsus. 4. Comitatus Catimelibocensis seu Cazenellebogen, Philippo seniore, ultimo Comite 1479. extincto, per matrimonium filiaë Annæ Henrico Landgravio allatus. 5. Comitatus Diezensis simul cum præcedenti acquisitus, sed à Nassoviis in controversiam vocatus. 6. Comitatus Niddanus simul cum Ziegenhainensi vindicatus. 7. Comitatus Principatus Schaumburgicus, cujus ultimus Comes Otto 1640. vivere desiit, unde pace Westphalica 1648. Hassis successio adjudicata. Darmstadenensis Linea Niddano symbolo duas fascias nigras subjicit, Isenburgici Comitatus insigne, cujus partem incunte hoc seculo acquisiverant.

Galea effulgent quinque : 1. Hassica. 2. Hirschfeldensis. 3. Ziegenhainia. 4. Catimelibocensis. 5. Schaumburgica.

MARCHI-



MARCHIONES BADENSES.

LINEÆ BADENSIS.

Octavus inter priscas Principum familias Inclutiffimæ *Badensi* tribuitur locus, inter domos alternantes quartus, cum Pomeranica quintum obtineat, alternatione hac in Comitibus Imperii obtinente, ita ut modo hæc, modo alia domus præcedat & priorem in Scamno Principum locum obtineat, reliquis ex alternationis subordinatione succedentibus. Badensis autem familia ab antiquissimis Zeringiæ Ducibus in Helvetia deduci amat, quorum porro initia à priscis Alsatia Principibus atque adeò ab eadem stirpe, quâ Augustissima Austriaca domus orta est, derivant; Id quod etiam In-

H 2

signia

signia probare volunt, utriq; genti ferme eadem, fascia nempe per Scutum ducta, sed cum hoc discretivo, ut Austriaca sit argentea per rubrum transversim, sed Badensis rubra per aurum ex angulo ducta. Hermannum Berchtoldi I. Zeringensis filium conditorem stemmatis Badensis faciunt an. 1074. †, cujus filius cognominis primus Marchio Badæ constitutus fuerit & hujus nepos Hermannus Tertius à Friderico Barbarossa Imper. Veronam in Italia obtinuerit, unde nonnulli Veronensis eos originis venditarunt. Sed nos antiquiora mittentes, hoc saltem addimus, eos, qui nunc superant, Marchiones omnes Christophorum communem patrem habere qui 1515. †, inter plures filios reliquit Bernhardum Lineæ Bada-Badensis & Ernestum Lineæ Bada-Durlacensis autores. Illius, nempe Badensis caput nunc est tot adversus Turcas victoriis inclutissimus Heros *Ludovicus Wilhelmus*, Lutetiæ Parisiorum natus 8. April. 1655.

Scutum ejus sic disponitur: 1. est Marchionatus Badensis. 2. Comitatus ulterior Spanheimius. 3. tam rosâ quam apro Com. Ebersteinium designat. 4. Landgraviatus Brisgovix. 5. Badenvileria, 6. Usenbergia, 7. Rœtelensis, 8. Lahrana, 9. Mahlbergensis Dynastiæ, 10. Comitatus citerior Sphanheimensis. De quibus singulis plura Num. seq. cum heic historiola gentis spatium occuparit.

Galeæ in - & circum - sistunt decem, de quibus itidem num. seq.

MAR-



MARCHIONES BADENSES.

LINEÆ DURLACENSIS.

AB altero Christophori filio Ernesto descendentes
Marchiones Durlacenses nunc in *Friderico Ma-*
gno & Carolo Gustavo Fratribus Serenissimis florent,
 quorum

Scutum variata saltem dispositione, eadem insignia
 præfert : 1. Est Fascia Marchionatus Badensis, quem,
 ab Henrico Aucupe Sec. X. ad Superiorem Germaniam
 Rhenique aditus ab incursionibus Gallorum tutandos
 institutum, uxor Judita Hermanno, primo ex hac gente
 Marchioni, attulisse perhibetur. 2. Leo Landgraviatus

H 3

Bris-

Brisgovici (Habsburgico plane similis, unde iterum de Austriacorum & Badensium cognatione conjicitur) qui etiam ante Badensem Marchiam diu in hac gente fuit. 3. Ala Liberi Domini Usenbergici, Henrico V. Marchioni per conjugium Annæ heredis allati 1358. & plenè comparati 1415. 4. Comitatus ulterior Spanheimius, post mortem ultimi Comitis Johannis 1437. partim ad Palatinos, partim ad Badenses devolutus. 5. & 6. Comitatus Ebersteinii symbola (quorum prius ex nomine ortum, alterum à Pontifice datum ferunt, cum Comes quidam Ebersteinus, Legatus Cæsaris, rosam rubram Dominica Lætare, quæ Rosarum dicitur, à Pontifice manu gestatam, pallio candido injectam acceperit) qui per matrimonium, jam ante aliquot secula, ad Badenses delapsus est. 7. Dominium Badenweiler 1503. morte ultimi Domini Philippi, ex libera donatione transcriptum. 8. Dominium Roetelanum, quod à Luitholdo ultimo Dynasta 1315. donatione mortis causa Henricus V. Badensis obtinuit. 9. Lahrana. 10. Mahlbergensis Dynastiæ, Seculo XV. Badensibus venditæ,

Galeæ huic scuto tot adduntur, quot sunt areolæ, quæ cum in parte superiori omnes locum non inveniunt, ad Latera partim collocantur, quod in aliis etiam nonnullis fit insignibus. 1. Est Badensis, 2. Brisgovia, 3. Usenbergia, 4. Spanheimia, 5. Badenweilerana, 6. Roetelensis. 7. & 8. Utraque Ebersteinia. 9. Lahrensis. 10. Mahlbergensis.

DUCES



DUCES HOLSATIÆ.

Nona inter vetustos Principes est familia Celsissima
 Holfatica, quæ Sec. XV. à Comitibus Oldenburgi-
 cis orta, nunc in ramum Regium (Danicum scilicet) &
 Ducalem distinguitur. Christianus enim I, Dieterici
 Fortunati Comitis Oldenburgensis 1440 † & Hedvvi-
 gis Holfaticæ filius, ab Avunculo Adolpho Duce Sles-
 vvici & Comite Holfatiæ, Regnum Daniæ ob ætatem
 recusante, 1459 †, commendatus Proceribus, 1448.
 Rex Daniæ & Norvvegiæ, 1457 etiam Rex Sveciæ ele-
 ctus est & 1474. Romam tendens, à Friderico III. Imper.
 obtinuit, ut Holfatiæ & Stormariæ Comitatus, nec non
 Dietmarsiæ, libera eousque regio, in Ducatus commu-
 tarentur.

tarentur. Huic 1481. †, in Regnis Johannes, in Ducatibus Fridericus filii successere ; sed Friderico 1523. etiam in Regem Daniæ electo, ejus filii Christianus III. & Adolphus de novo ditiones partiti sunt ; Ex illo Regia hodierna & Sunderburgicæ, ex hoc Gottorpiensis Lineæ descendunt.

Scutum cunctis, quoad Holsatiam (nam de Regno Daniæ suo loco dicetur) commune hæc areolas numerat : 1. Leo bipennifer est *Regni Norrvagici*, cujus *Heredes* se nominant omnes Duces Holsatiæ ex eo, quod mortuo Olao Rege ultimo 1387, ad matrem Margaretam, Daniæ Reginam, hoc Regnum hereditario jure delapsum & sic ad sequentes Reges translatum sit ; Ex quibus cum Johannes, Christiani I. Oldenburgici filius, circa 1500. seditionem Norrvagorum compescuisset & magna libertatis parte eos privasset, magis *Heredes Norrvagie* se Danorum Reges & omnes ex illis prognati Duces gessere. 2. Bini Leones cærulei Ducatus Slesvicensis, fortasse ex tribus Regni Danici discretionis causa assumpti, 3. Urticæ folia cum clavis passionibus Ducatus Holsatiæ, ex eo, quod Adolphus I. Comes Schauenburgum arcem in monte Nettelberg condiderit, & Adolphus III. circa 1189. in Palæstinam profectus clavos passionales obtinuerit, 4. Cygnus Ducatus Stormariæ, 5. Eques cataphractus Ducatus Dietmarsicæ, qui simul Ducale axioma obtinere 1474, ut supra dictum. 6. & 9. Comitatus Oldenburgensis. 7. & 8. Delmenhorstani, originem gentis indicantes, qui 1667. die 19. Jun. morte Antonii Güntheri, ultimi Comitum ad Regiam & Ducales domos delapsi sunt.

Galeæ corona & mitra Ducali simul tectæ tres imponuntur, ex quibus, 1. est Norrvagica, 2. Slesvicensis, 3. Holsatica, septem vexilla sustinens quibus Urticæ folia impressa. Lacinia ex Slesvicensi dependent aureæ & Cyaneæ, ex Holsatica argentæ & sanguineæ.

DUCES



DUCES ET PRINCIPES ASCANII.
 LINEÆ SAXO-LAUENBURGENSIS
 haud ita pridem emortuæ.

Decimum inter antiquissimos Principes Germaniæ locum obtinet familia Ascania, quam ab Ascenazo Japheti nepote nonnulli accersere ausi sunt, sed certiores gradus scandunt, qui ab Ottone Divite Comite Ascaniæ & Ballenstedii Sec. XII. derivant, cui Henricus V. Imp. Marchiam Veterem tradidit & conjugē habuit Eilikam, Magni, Ducis Saxonæ ex Billingianis ultimi, filiam, ex qua ipsi natus Albertus Ursus, à Conrado III. Imp. Marchiam Brandenburgensem accepit, quam posteri ejus ad 1322. per duo ferme secula tenuerunt. Bernhar-

I

us

us Alberti filius à Friderico I. Imp. Ducatum Saxoniae obtinuit 1180, ex autorato Henrico Leone Gvelpho, qui ex altera filia Wulfildi, Henrico Nigro Bavaro nupta, Magni Ducis ultimi pronepos erat, ut Bernhardus ex Eilika. Sicque duo Electoratus, Brandenburgicus & Saxonicus in hac familia fuere & Saxonicus quidem ad 1423. per duo secula & dimidium. Ex Bernhardi filiis Albertus per gnatum Johannem Saxo-Lauenburgicos Duces, sed Henricus Anhaltinos Principes Sec. XIII. propagavit, de quibus Num. seqq. Saxo-Lauenburgica Linea initio hujus seculi adeò adhuc florebat, ut Franciscus II. Dux 1619. †, novendecim Liberos & in his filios duodecim relinqueret, ex quibus sex matrimonia, eaque haud infœcunda inierunt, sed mira fatorum vi, intra 50. annos ad eam orbitatem redacta est, ut non nisi unus palmet relinqueretur, nempe *Julius Franciscus* Dux Saxoniae, Angriae & Westph. qui etiam postremus tumultis suorum accessit 1689. duabus saltem filiabus relictis.

Scutum, quo utebatur, quadripartitum erat: 1. Ducatus Saxoniae, de quo supra, 2. Palatinatus Saxoniae, de quo ibidem, 3. Electoralis Archi-Mareschallatus Dignitas, cujus symbolum ultimus Dux 1671. ex pacto confraternitatis, cum hodierna domo Saxonica Electorali, inseruit, cujus pacti vigore etiam Elector Saxoniae succedere in ditionibus evacuatis voluit; sed Anhaltini ex proxima cognatione, Gvelphici ex prisco Henrici Leonis jure contradixerunt, fortasse etiam filiae ex Eilicæ & Wulfildis exemplo adhuc hereditatem spectant, unde Successio in dubio, possessio apud Gvelphos est. 4. Comitatus Brenensis symbola sunt, sed pro Ducatu Angriae adhibita.

Galeæ eminent tres, 1. Saxonica. 2. Angrivarica. 3. Palatinatus Saxoniae.

PRIN-



*PRINCIPES ASCANII seu ANHALTINI,
LINEÆ DESSAVIENSIS
& reliquarum.*

AB *Henrico* Bernhardi Ducis filio Sec. XIII. descen-
dentes Principes Anhaltini, axioma Principale à
Friderico II. Imperatore acceperunt & per plures ramos
familiam propagarunt, qui seculo proximo in unicum
Joachimum Ernestum coierunt, ex quo hodierni omnes
sanguinem trahunt. Eo enim 1586. rebus humanis ex-
cedente, ex plurimis filiis, quinque præcipuè, totidem
Lineas condiderunt, à *Johanne Georgio Dessaviensis*,
à *Christiano Bernburgica*, ab *Augusto Platzkaviensis*,

I 2

à Ru-

à *Rudolpho Servestana*, à *Ludovico denique Cæthana*,

â Rudolpho *Serveſtana*, â Ludovico denique *Cæthana*,
orta eſt; & quamvis hæc ultima in filio Ludovici, Wil-
helmo Ludovico 1665. defecerit (immortali nihilomi-
nus memoriâ *Societatis Frugiferae* â Ludovico 1617. in-
ſtitutæ, relicta) Bernburgica tamen novum palmitem
Hazgerodensẽm ſuffecit, ita ut quinque adhuc in uni-
verſum Lineæ Anhaltinæ numerentur. Ex his Serveſta-
na auctiora Inſignia geſtat, quæ Num. ſeq. dabimus.

Scutum autem reliquis omnibus commune eſt, quod
heic expreſſimus, in quo 1. Medio incumbens parmula
biſecta duplicis Electoratus, quem olim familia geſſit,
memoriam ſervat, aquilâ Brandeburgẽm 1322; ſerto
Saxonicum 1423. ereptum ſignans. 2. Originem gen-
tis â priſcis, ut volunt, Beringis, denotat. 3. Vetus
Ballenſtedenſe ſymbolum eſt, cui poſtea ſertum ruta-
ceum injectum: Ballenſted autem, quaſi Balckenſted
dici volunt, unde quinque trabes. 4. Aſcanius Comitatus
(*Uſcherſleben*) antiquiſſimum hujus familiæ patrimo-
nium, ſed jam dudum ab Halberſtadenſibus ereptum.
5. Dominium Walderſee ſeu territorium Deſſaviæ 1341.
conditæ. 6. Comitatus Wannsdorf. 7. Mülingen-
ſis Comitatus, qui penes Barbianos fuit. 8. Bern-
burgia Dynaſtia. 9. Regalium, ſeu vexilli Imperialis
Locus.

Galeæ tres coronatæ incumbunt: 1. Anhaltina. 2. Be-
ringia. 3. Aſcania.

Num Anhaltini Principes ob prætenſionem validam
in ſucceſſionem Saxo-Lauenburgẽm, Inſignibus &
Titulo aliquid addiderint, certo mihi explorare non
licuit.

PRIN.



*PRINCIPES ANHALTINI
LINEÆ SERVESTANÆ.*

Rudolphum Joachimi Ernesti filium Lineam Serve-
stanam inter Anhaltinas condidisse diximus. Hic
1621. seculo valedicens, ex secunda conjuge Magdalena
Oldenburgica unicum reliquit filiolum Johannem, eo-
dem anno in Lucem editum, qui ab Avunculo, Anto-
nio Gunthero, Comite Oldenburgensi ultimo, educatus
& ad Augustanæ Confessionis sacra solus est sua gente
(cum reliqui Reformatam Religionem sequantur) re-
ductus, ex ejus hereditate Dynastiam Jeverensem, in
I 3 Frisia


| Frisia, testamento sibi Legatam accepit & moriens

Frisia, testamento sibi Legatam, accepit & moriens
1667. ad filios transmisit, quorum

Scutum tribus palis Anhaltinis, quartum adjectum
habet & sequentes areolas continet: 1. Duplicis Electo-
ratus memoria est. 2. Beringensis. 3. Ballenstedius.
4. Ascanius. 5. Dessaviensis. 6. Wannsdorfensis.
7. Mulingensis. 8. Bernburgensis clypeus & 9. deniq; Re-
galium locus, ex quibus nihil non in præcedenti scuto
enumeratum, sed novas accessiones ultimus palus con-
tinet, in quo 10. est Dominium Jeverense, quod Johannes
Comes Oldenburgicus à propiore sobrina Maria, ul-
tima Domina Jeverensi, Edonis Wimeken, Dynastæ
Jeverensis & Heilvvigis Oldenburgicæ filia 1575. obti-
nuic. 11. Est Dominium Kniephusii, cujus præten-
sionem eadem illa Maria Oldenburgensibus reliquit,
qui postea cum Dominis Kniephusii transigerunt & An-
tonius quidem Guntherus ultimus Comes, filio suo An-
tonio Comiti de Aldenburg hanc Dynastiam legavit,
sed data est Servestanis expectativa, unde Insignia com-
munia. 12. Dominium est Walter-Nienburgense ex
Barbiensium Comitum hereditate ab Electore Saxonie
Johanni Servestano feudo oblatum.

Galea huic scuto quatuor imponuntur: 1. Anhalti-
na. 2. Beringensis. 3. Ascania. 4. Jeverensis. Tela-
mones interdum adduntur bini Leones.

PRIN-



PRINCIPES AREMBERGICI.

Post enumerata Stemmata Principum, quibus axiomatis vetustas, fortunæque splendor dignitatem addit, ordo nunc postulat, ut *Recentiores*, qui speciatim *Principum* titulo honestantur & à tempore non ita longo ad hoc fastigium evecti sunt, recenseamus. Eos autem non omnes dabimus, sed præcipuos saltem, & magis notos in hisce oris, *Arembergicos* scilicet, *Zolleranos*, *Nassovios*, *Frisios*, *Fürstenbergios*, *Oetingenses*, *Waldeccios*; Cum aliis etiam *Eggenbergici*, *Lobkovizii*, *Salmeneses*, *Auersbergici*, *Schwarzenbergici*, *Lichtensteinii*,
Dietri-

Dietrichsteinii, Piccolominei, Crojenses & Portiani

Dietrichsteinii, Piccolominei, Crojenses & Portiani
in hoc ordine connumerentur. *Arembergici Principes* nomen habent ab Aremberga, libera quondam Dynastia (in eo tractu Rhenano, qui Eiffalia vocatur) quam Mechtildis, Johannis ultimi Dynastæ filia, Engelberto Comiti Marcano 1298. dotis loco attulit & postea in Marcana domo hæsit ad 1544, quo extincto Roberto III, soror ejus Margareta, Marito *Johanni Lignefio & Barbansonio* (ex Illustri apud Belgas in Hannonia familiâ oriundo) ditiones attulit, qui ob egregia merita à Maximiliano II. Imperatore circa annum 65. superioris seculi, Princeps S. Rom. Imperii creatus est, à quo reliqui hodierni descendunt, qui in ramos *Arscotantum, Cimacensem & Barbansonium* distinguuntur.

Scutum quo Johannes communis eorum parens utebatur, illud est, quod heic exhibuimus: 1. & 4. tres mespili flores, quinque foliorum in rubro ostendentes Arembergam notant. 2. & 3. Fascia est tessellata Comitatus Marcani, quam in plurimis scutis jam lustravimus. 5. & 8. Baltheus est Lignefiæ familiæ à Ligniaco Hannoniæ castello denominatæ. 6. & 7. Tres Leunculi Barbansoniam Dynastiam connotant.

Galea insunt tres: 1. Arembergica. 2. Marcana. 3. Ligniaco-Barbansonica. Telamones interdum adduntur, hinc Leo, istinc gryphus.

PRIN-



PRINCIPES HOHENZOLLERANI.

INter antiquissimas Comitum Germaniæ familias est Zollerana, ab arce Sveviæ, haud procul Tubinga, excelsæ rupi imposita, Hohenzollern, dicta. Ex illa Rudolphus Comes sub finem seculi XII. vixit & per duos filios totidem stirpes propagavit, per Conradum quidem Burggravios Norimbergenses, nec non Electores & Marchiones Brandenburgicos, quos supra commemoravimus; per Fridericum autem reliquos Hohenzolleranos. Inter quos Sec. XV. exeunte Eitel Fridericus

K

cus

cus Maximiliani I. Imperatoris gratia effloruit & Pri-

cus Maximiliani I. Imperatoris gratia effloruit & Primus Camerae Imperialis Spirensis Praeses, primusque ex hac familia Camerarius Hereditarius S. Rom. Imperii constitutus est, quae posterior dignitas adhuc in hac gente perdurat & vices cognatorum Brandeburgensium tenet. Ejus filius cognominis in aula Caroli V. Imperatoris excelluit, nepos autem Carolus I. duas Lineas hodiernum florentes ex se profecit, *Hechingensem* per Eitel Fridericum & *Sigmaringensem* per Carolum II. filios. Ex priori natus Johannes Georgius, trium Imperatorum gratia singulari gavifus & a Ferdinando II. in Principum Imperii classem 1623. evehctus est, inter quos etiam filius ejus Eitel Fridericus locum & sessionem in Comitibus Ratisbonensibus 1641. obtinuit.

Scutum utriusque Lineae quadripartitum est, cui in medio 1. incumbit parmula coccinea duo sceptrum in decussim locata continens, quibus Camerariatus hereditarius Imperii, aut potius Vicariatus ejusdem exprimitur. 2. & 5. Est ipse Principatus olim Comitatus Hohenzolleranus. 3. & 4. Comitatus Sigmaringensis Carolo I. a Carolo V. Imp. Susceptore suo donatus.

Galea respondent tres: 1. Vicariatus Camerariatus. 2. Zollerano. 3. Sigmaringensi Comitatus.

PRIN-



PRINCIPES NASSOVICI.

Illustrissima Nassoviorum gens nulli præcipuarum Imperii secunda; seculo X. jam satis clara sub Ottonibus fuit; seculo XI. ab Henrico III. Imp. Geldriam obtinuit; seculo XIII. in duas Lineas Idsteinio-Saræpontanam & Dillenburgo-Catimelibocensem divisa est. Ex Saræpontana eodem sec. Adolphus Imperatoriam Majestatem nactus. Seculo XIV. à Carolo IV. Imperatore tota gens Comitum Principifatorum titulum obtinuit. Fecunditas autem maxima, eam in plures ramos divisit. Misfis Saræpontanis & Arausionensibus, de quibus fortasse alibi dicendi campus aperietur, hoc saltem adde-
mus de Dillenburgensibus, Johannem Seniore 25. li-
berorum

K 2

berorum

berorum & 85. nepotum & pronepotum patrem exsti-

berorum & 85. nepotum & pronepotum patrem existi-
tisse, cum 1606. septuagenario major rebus humanis ex-
cederet. Ex filiis quatuor, totidem palmites Nassovio-
rum, hodie florentes propagarunt. Johannes Medius
Siegensem, Georgius *Dillenburgicum*, Ernestus Casi-
mirus *Diezensem* & Johannes Ludovicus *Hadama-
rium*. Hic ultimus cum à Reformatis ad Romana Sa-
cra transfisset, Imper. Ferdin. II. apprimè charus & Ferdin.
III. ad Pacificationem Westphalicam Legatus fuit, qua
confectâ, ab eodem Imperatore primum ipse solus ex
Comite Princeps Imperii 1650. pronunciatus est, sed cum
vitam 1653. finiret, antequam sessionem in Comitibus ob-
tineret, postea cum filio ejus Mauritio Henrico, simul
agnati, Ludovicus Henricus ex Dillenburgica; Johannes
Mauritius & Franciscus Desideratus ex Siegeni & Wil-
helmus Fridericus ex Diezensi, Lineis 1654. in Senatum
Principum introducti sunt, ea Lege, ut omnes non nisi
duo suffragia ferrent.

Scuto non omnes Nassovii eodem utuntur, nos Sie-
gense exhibuimus, in quo scuti majoris areolæ omnibus
lineis sunt communes: 1. Leo cum plinthidibus, Comi-
tatum, nunc Principatum Nassoviæ notat. 2. alter Leo
vel Pardus, Comitatum Catimelibocensem designat, de
quo in Hassiacis diximus, apud quos possessio, sed titu-
lus communis, 3. Fascia Viandensis Comitatus in Lucenburgis,
qui 1340. per matrimonium Nassoviis obtigit. 4. Comitatus
Diezensis, de quo itidem in Hassiacis, titulus enim communis,
sed possessio apud Nassovios. In media parmula 5. Limbur-
gum. 6. Bronchorstiam. 7. Wischiam. 8. Borculoam notant,
quorum Jus Maria Magdalena Comitissa Limburgio-Styrumia
Henrico Nassovio 1646. attulit.

Galea pro Nassovio scuto tres insunt: 5. Nassovia, 3. Ca-
timelibocensis, 1. Diezensis; pro Limburgio totidem, 2. Lim-
burgia, 4. Wischia, 6. Bronchorstia,

PRIN-



*PRINCIPES FRISIÆ ORIEN-
TALIS.*

A Capitaneis & Dominis Grethsilensibus, qui Sircse-
nii nominabantur, orti hodierni Principes Ost-Fri-
siæ, Edzardum commemorant Ennonis filium, qui Se-
culo XV. Rector & perpetuus Judex à Frisis electus fue-
rit & 1441. improlis moriens, Ulricum fratrem in eadem
dignitate successorem habuerit. Hic cum magnam Fri-
siæ partem hereditario jure possideret, pluresq; ditiones
per matrimonia adjungeret, 1454. à Friderico III. Im-
peratore obtinuit, ut cum conjugè & posteris Comes
Frisiæ Orientalis crearetur, quam tamen dignitatem per

K 3

noven-

novennium dissimulavit & postea minuendæ invidiæ

novennium dissimulavit & postea minuendæ invidiæ causa, Comitem Nordanum & Embdanum aliarumque partium in Frisia, quas in patrimonio habebat, se tantum scripsit. Eo autem 1466. †. posterius ejus Comitum Frisiæ Orientalis titulum assumpserunt, qui duravit ad annum 1654, quo Enno Ludovicus ad Principale fastigium ab Imper. Ferdinando III. erectus est, cumque hic præmaturè vita caruisset, fratri ejus Georgio Christiano Leopoldus Augustus 1662. eam dignitatem renovavit, sed hoc quoque vivis erepto, filius demum ejus Christianus Eberhardus, quarto post parentis obitum mense natus 1665, eodem adhuc anno per Legatos sessionem & votum inter Principes Imperii obtinuit, qui nunc Frisios moderatur.

Scutum ejus sex areolas sistit: 1. Harpya seu aquila virgineo capite cum stellis, ipsam Frisiam cum Comitatu Nordano signat. 2. Aquila Rietbergensem Comitatum in Westphalia 1584. per matrimonium Armgardis Ennoni III. Comiti Frisiæ allatum denotat. 3. Fascia cum Lunulis, Dominia Lædana, Reiderana & Manschlacht ad Ulricum Comitem delata exprimere fertur. 4. Leo cum corona inversa in collo, Jeverensem Dynastiam repræsentare traditur, in quam Frisii prætendunt, sed diversus hic est ab eo, quem in Servestano scuto vidimus. 5. & 6. Ursus cum flagellis simul notat Libera Dominia Esens, Stedesdorf & Wittmund, quæ post mortem ultimi Dynastæ Balthasaris 1540. tandem ad Frisios delapsa sunt.

Galeæ tres insunt: 1. Frisiaca, 2. Rietbergica, 3. Dominiorum reliquorum.

PRIN-



*PRINCIPES FÜRSTENBER-
GICI.*

INter proceres Sveviæ vetustate & illustri splendore
 excellit stirps Fürstenbergica. Longum esset à Seculo
 VII. majores accersere ; Sufficiat ex proximo Frideri-
 cum Comitem commemorasse , qui felici connubio
 Annæ , Christophori ultimi Comitis de Heiligenberg
 filiæ & heredis , Comitatus Heiligenberg & Werden-
 berg acquisivit. Ex filiis ejus duo rami , nempe
 ex Joachimo *Werdenbergicus* , nunc Principum , ex Chri-
 stophoro *Blombergicus* , nunc Comitum , orti sunt.
 Joachi-

Joachimi filius Fridericus præter alios genuit Egonem ,

Joachimi filius Fridericus præter alios genuit Egonem, qui 1635. †. hos diversissimorum studiorum gnatos (reliquos ut taceam) procreaverat: Franciscum Egonem, Episcopum Argentinensem 1682. †. Wilhelmum Egonem fratris in dignitate successorem, satis nota in hisce turbis Germaniæ capita, & Hermannum Egonem, gratia Leopoldi Augusti adeo florentem, ut 1667. Principali axiomate una cum fratribus decoraretur & ipse quidem ad sessionem in Comitibus eodem adhuc anno introduceretur, quæ dignitas etiam in filium Antonium Egonem & posteros extensa est.

Scutum ejus aureum continet Aquilam rubram, cui circumdatur Limbus ex argento & cyano in nubium formam undulatus, quod olim discretivum diversarum Linearum fuit, post in Fürstenbergica mansit; denotat autem ipsum Comitatum, nunc Principatum Fürstenbergicum. Pectori aquilæ scutulum imprimitur quadripartitum in cuius areola prima & quarta rubea vexillum ecclesiasticum argenteum est, Comitatus Werdenbergici; in secunda & tertia baltheus cochleatus Comitatus Heiligenbergici tessera, qui, quomodo ad hanc familiam delati fuerint, jam dictum est.

Casides tres incumbunt. 1. Fürstenbergica. 2. Werdenbergica. 3. Heiligenbergica,

PRIN-



PRINCIPES OETINGENSES.

INter antiquissimas Germaniæ stirpes est quoq; Oet-
ingensis, quam una cum Insignibus, genti usitatis, à C.
Julio Cæsare nonnulli derivare præsumpserunt, sed te-
merario conatu. Alii à Grajo seu Cajo quodam Belli-
coso deducunt, qui Sec. X. Ottonis M. Imperatoris
gratia floruerit & ab eo Insignia hodiernum sveta acce-
perit. Quicquid autem hujus sit, certe plures ramos
hæc stirps olim produxit, qui seculo superiori in unum
coierunt. Ludovicus enim XV. Comes, mortuo 1549
agnato Comite Martino, discretionis gratia in Waller-
L stein

stein dicto, universum Comitatum complexus est &

stein dicto, univcrsum Comitatum complexus est & omnium, qui nunc è familia supersunt, communis parens existit. Ex filiis enim ejus Ludovicus XVI. septem uncias paternæ hereditatis accipiens, hodiernam *Oetingensem*, Fridericus vero reliquas quinque cum Euphrosina, Martini agnati unica filia, sibi adjungens novam *Wallersteiniam* Lineam condidit. Hæc Comitum nunc dicitur; Illa verò novum splendorem nacta est, cum Albertus Ernestus Comes 1674. à Leopoldo Augusto ad Principale fastigium eveheretur & filius ejus cognominis 1686. in Senatum Principum introduceretur.

Scutum ejus peculiare aliquid habet, quod in paucis aliis observatur. Per decussim enim in quatuor semihombos dividitur, ex quibus superior auro, inferior minio omninò pingitur, laterales vero alternis fasciis rubeis & aureis quatuor exarantur. Huic injicitur crux in modum culcitæ lata, superius rubea, inferius aurea. Huic parmula cærulea & huic crux Andream argentea in angulos majoris scuti extensa, quo ipso familia & Principatus Oetingensis notantur.

Cassis sustinet caput molossi aureum, cujus aures rubræ decussi scutaria ornantur.

PRIN-



PRINCEPS WALDECCIUS.

SI ulla familia Germaniæ antiquitate & splendore vario illustris, certe Waldeccia est, quam ex Witikindo Svalenbergiæ & Waldecciæ Comite, derivare amant cui Carolus M. Imperator 780. Paderbornensis, à se fundatæ Ecclesiæ Advocatiam dedit. Hujus posteritas continua felicitate per novem integra secula propagata, plures alios illustres ramos Comitum Sternbergensium, Svalenbergensium, Burggravorum Magdeburgicorum &c. &c. profecit, de quibus omnibus heic dicere longum esset. Hoc solum sufficit: Josia Comite 1588. †, natos esse Christianum, qui *Isenbergicam* & *Volrathum* IV, qui *Wildungensem* seu *Arolsenssem* Lineas condiderunt,

L 2

runt,

runt. Ex Volrathi filiis erat inclytus Heros *Georgius*
Epidaurum S. Cesar. Majestatis & federatorum Cir

runt. Ex Volrathi filiis erat inclytus Heros *Georgius Fridericus*, S. Cæsar. Majestatis & foederatorum Circulorum Imperii, nec non Ordinum Generalium Republicæ Batavicæ Generalis Campi Mareschallus, qui ob singularia merita à Leopoldo Augusto 1682. ad Principale fastigium primus è gente sua evehctus est, ac votum cum sessione in Comitibus obtinuit. Sed idem proximo mense Novembri 1692. vitam & Arolsensẽ Lineam clausit, nullis masculis heredibus relictis, Num agnatus Christianus Ludovicus Comes ex Isenbergiis, cum ditionibus etiam axioma Principale nactus sit, tempus docebit.

Scutum Georgii Friderici novem areolis constabat, ex quibus 1. Comitatus Waldeccia. 2. Comitatus Pyrmontanus, deficientibus propriis Comitibus, ad Spiegelbergios & Gleichios, his quoq; 1630. extinctis, ad Waldeccios devolutus & contra Episcopos Paderbornenses vindicatus est. 3. Comitatus Culenburgius, qui † Gasparo ultimo 1504. ad Pallantii Dominos; & horum postremo Florentino 1639. †, ad Sororem Elisabetham, Jacobo Badensi nuptam, hujusque filiam Annam, Volratho Waldeccio in matrimonium, datam transmissus est. 4. Comitatus Gleichius. 5. Præpositura Halberstadiensis. 6. Prioratus Johanniticus per Marchiam & Vandaliam, quæ Sacra beneficia Georgius Fridericus possidebat. 7. Dominium Werth. 8. Dom. Witthem. 9. Dom. Pallant, quæ ex Culenburgica hereditate accesserunt.

Galeæ adduntur quinque, ex quibus 1. Waldeccio-Pyrmontana. 2. Culenburgica. 3. Gleichensis. Ad latus dextrum Werthana, ad sinistrum Pallantina.

DOMI-



*DOMINI ET PINCERNÆ DE LIMPURG
SEMPER LIBERI.*

Post eos, qui viritim suffragia in Comitibus Imperii inter Principes Seculares ferunt, sequuntur illi, qui curiatim sua vota conferunt, ut Comites & nonnulli Barones Liberi, seu Dynastæ. Hi, sub initium hujus seculi, omnes non nisi vota duo obtinebant, in totidem scamna seu Collegia, Wetteravicum scilicet & Svevicum divisi: verum in Comitibus Ratisbonensibus 1640. Franconici Comites tertium ordinem & votum obtinuerunt; & in aliis 1653. ibidem habitis, Westphalici & Saxonici Comites quartum impetrarunt, adeo, ut nunc in quatuor Classes seu scamna omnes Comites Imperii distinguantur.

L 3

quantur.

quantur. In Wetteravico, præter emortuas, hodie nu-

quantur. In Wetteravico, præter emortuas, hodie numerantur familiae 19 ; In Svevico 22 ; In Franconico 8 ; In Westphalico 12. In universon 61, quas omnes recensere nimis Longum & ultra terminos hujus Manualis Heraldici esset. Paucissimas igitur saltem selegimus ex Collegio Wetteravico & Westphalico, hisce oris viciniore & notiore : quibus præmitteremus ex Franconico & Svevico illas, quæ Vicariatus Officialium S. Rom. Imperii, seu Electorum gerunt & Sub-Officiales à nonnullis vocantur, ut sunt Pincernæ de Limpurg, Truchfessii de Waldpurg, Mareschalli de Pappenheim & The saurarii de Sinzendorf. (Camerarios enim de Hohen zollern inter Principes jam dedimus, & quinam Electoris Brunsvicensis Vicarii futuri sint, nondum patet.) Quod si posthac extendi hunc Laborem placuerit, plures Comites addere licebit.

Limpurgi autem Domini in Franconia à priscis Franconia Ducibus & Conradi II. Imper. agnatis descendere creduntur, id quod Insignia quam maxime declarant. Dividuntur in duos ramos, *Gailndorfensem*, qui à Conrado, & *Speckfeldicum*, qui à Friderico descendunt, quorum parens communis Fridericus Limpurgius 1414. †. Pincernatus S. Rom. Imperii jam inde à Seculo XII. in hac gente hæsit, quo ipso vices Archi-Pincernæ, Regis Bohemiae subit.

Scutum Dominorum de Limpurg, qui peculiari titulo, Semper Liberi (*Semperfren*) vocantur, quadripartitum est. 2 & 5. Cuspides repetunt Franconici Ducatus, ad originem notandam. 3 & 4 quinque argenteas clavas Trojanas (*Heerkolben*) exhibent, quas Conradus II. Imperator gestasse fertur, & fortasse notant ipsum Domin. Limpurg. 1. honoratiori loco imponitur poculum aureum, Pincernatus symbolum, idque sine peculiari parmula.

Galea apparent duæ. 1. Ducatus Franconici, qui una cum scuto etiam ab Episcopis Herbipolitanis usurpatur. 2 Pincernatus S. Rom. Imperii. COMI-



*COMITES TRUCHSESII DE
WALDPURG.*

DApiferos sive Truchsesios de Waldpurg ab Hesse-
ne quodam deducunt, qui sub Ottone M. Imp. con-
tra Ungaros strenuè pugnando, 954. occubuit, cujus ab-
nepos Wernerus Dapiferatum Sveviæ Ducatus sec. seq.
accepit, ex quo septimo generationis gradu descendens
Henricus, ille fuisse colligitur, qui 1268. à Conradino
ultimo Sveviæ Duce, Neapoli (jussu Caroli Siculi, ex in-
clementi Papæ Clementis sententiâ, securi cum Frideri-
co Austriaco percusso) in ferali pegmate datum annu-
lum cum chirotheca, in hereditatis indicium, Petro Regi
Arra-

Arragoniæ attulisse & in rei memoriam, Leones Svevi-
cos insignium loco accepisse fertur. Henrici abnepos
fuit Johannes, quem, quotquot è numerosa hac familia
superstites sunt, communem patrem agnoscunt. Geor-
gius enim filius Wolfecensem, Jacobus Scheerensem
ramum propagavit: ex priori, seculo proximo Zeilen-
sis; ex posteriori, hoc nostro Trauchburgensis prodiit,
ita ut nunc quatuor omnino Waldpurgiorum palmi-
tes sint, inter quos Senioratus obtinet, ita ut ille, qui
ætate potior, reipsa Dapiferatum, reliqui titulum saltem
gestent.

Scutum plenius familiæ ornatissimum est. 1. Ex-
hibet pomum Imperiale Dapiferatus, quem olim vice
Palatinorum, nunc vice Bavarorum Electorum, Archi-
Dapiferorum, sustinet familia. 2. & 5. Sunt Leones
Ducatus Sveviæ, quos Henricus accepit, ut memora-
vimus. 3. Sonnenbergæ tessera est, quam Eberhar-
dus Comes à Werdenbergensibus 1463. præsentî pecu-
nia sibi comparavit & Fridericus III. Imp. Comitatus axi-
omate ornavit. 4. Tres botros pineos continet, priscum
Waldpurgensium symbolum, cum adhuc Dynastæ de
Thann & Wintersteten appellarentur.

Casides sunt sequentes: 1. Dapiferatus S. Imperii.
2. Waldpurgica cum vexillo Svevico, imminente Leo-
nibus pomo Imperiali, quo symbolo aliàs solo etiam
in scuto contractiori utuntur. 3. Thannensis seu prisca
familiæ. 4. Sonnenbergica. Sustinet scutum Heroïna
veste candida, altera manu vexillum Svevicum tenens.

COMI.



*COMITES MARESCALLI DE
PAPPENHEIM.*

Gentem hanc à Calatinis Romanis nonnulli deduce-
re gestiunt, qui etiam Attilii dicti, diu ante Nat.
Christi floruerint, sed plena deductio non nisi à Mare-
scallo de Calatin ostendi potest, qui 1170 fatis concessit.
Ex hujus nepotibus, Rudolphus Marescallos de Pappen-
heim & Bieberbach, Hildebrandus verò Comites de
Rechberg & Rotelœvven propagasse traditur. Rudol-
phi posteritas in plures lineas distracta fuit, ex quibus
Treutlingensem celebriorem reddidit Godofridus Hen-
ricus Comes à Pappenheim, qui 1632. eodem prælio
M cum

cum Gustavo Adolpho inclito Svecorum Rege ad Lu-

cum Gustavo Adolpho inclito Svecorum Rege ad Luzam occubuit, filio Wolfgango Adamo 1647. Lineam claudente. Ex Alezheimensi autem ramo natus Georgius Philippus 1622. †. hodie superstites omnes de suo sanguine emisit, Wolfgangus enim Philippus Lineam à religione Catholicam, sed Franciscus Christophorus frater ejus, Evangelicam plantavit, quæ in filiis eorum adhuc durant.

Scutum Pappenheimiorum in capite I. exhibet Aquilam Imperialem, inferior pars quadripartita est, ita ut 2. & 5. Marefcallatum hereditarium Imperii designent. 3. & 4. autem vario vellere argenteo & cæruleo (Germani *Eisenhütlein* vocant) consuantur, quod Pappenheimiæ gentis monumentum est.

Galeæ apparent duæ. I. Marefcallatus Imperii. Pappenheimia hermam muliebrem Æthiopissæ coronatæ sistens.

COMI-



*COMITES THESAURARII DE
SINTZENDORF.*

INter Austriacas familias Sintzendorfia jam diu illustri-
stris fuit, quam ab Henrico quodam deducunt, qui
circa 1044. vixit & ex filio Dieterico Domino de Sint-
zendorf nepotem habuit Henricum II, qui Henrico
IV. Imperatori strenuam operam navavit. Hujus filii,
Rudolphus Conrado III. Imp., & Johannes Leopoldo
Victorioso, Marchioni Austriae, in expeditionibus Ori-
entalibus adfuisse traduntur. Rudolphi filius Henricus
III, cum Friderico Barbarossa Imp. in Syriam profectus,
redux in Austria domicilium fixisse perhibetur. Ab hoc
sexto gradu descendens Leonhardus, de suo corpore

M 2

omnes


omnes hodiernos profecit sec. XV. A filiis enim ejus

omnes hodiernos profecit fec. XV. A filiis enim ejus Laurentio & Rimperto Lineæ duæ, quibus jam Sintzendorffii distinguuntur, ortæ sunt: Feureccensis scilicet, quæ nunc Ernstbrunnensis appellatur, & Fridaviensis, hodie Neoburgensis dicta. Cæterum ad pristina familiæ decora, inter quæ Pincernatus hereditarius in Austria superiore, referendus, novum hoc seculo accessit, cum instituto, per Pacem Westphalicam, octavo Electoratu cum munere Archi-Thesaurarii, eoque Palatinis dato, vices ejus Sintzendorffia genti jure perpetuo assignarentur, illaque insimul in ordinem Comitum S. Rom. Imperii eveheretur.

Scutum plenius familiæ sequentibus areolis constat: 1. Diadema Imperiale Thesaurarii munus notat. 2. Priscum est Sintzendorffiorum insigne. Hac media parvula sæpius tantum utitur familia, reliquis sepositis. 3. & 6. Num Roggendorffiam Dynastiam, Reineccensem Burggraviatum, aut aliud quid ex patrimonio gentis notet, non satis compertum habemus. Si liceret, de Reineccensi ego magis conjicerem, quamvis enim hic Burggraviatus à Comitatu Reineccensi sit diversus, qui in sequenti Hanovico scuto cernitur, insignia tamen illius prorsus eadem sunt, quæ heic exhibentur, fortasse eosdem dominos olim uterque habuit. 4. & 5. Parte superiori Lappizia gentis aquilam, inferiori Corbaviensis Comitatus anserem cum fasciis repetit, cujus memoria ex conjugio Pilgrami I. Comitis Sintzend. servari videtur.

Cassides quinque eminent. 1. Thesaurariatus. 2. Sintzendorffia & Pincernatus Austriae. 3. Corbaviensis. 4. Non satis cognita, fortasse ad Laterculum. 3. & 6. referenda. 5. Lappizia.

COMI.



ENumeratis Sub-Officialibus S. Rom. Imperii, ex reliquis Comitum ordinibus nonnullos quoque subjungemus & primo quidem ex Wetteravico scanno Hanovios. Illi seculo X. in Ludis equestribus jam commemorantur, sed justa series ante Henricum, qui sec. XII. exeunte claruit, vix ostendi potest. Septimus ab hoc Reinhardus † 1451. duos habuit gnatos, ex quibus Reinhardus Münzenbergicum, Philippus Liechtenbergicum palmitem propagavit. Ille per duo secula duravit & 1642. cum Johanne Ernesto defecit, qui duobus mensibus ante saltem in Philippi Ludovici hereditatem successerat. Hic verò, nempe Liechtenbergicus

M 3

tres

tres tunc mares adhuc superstites habebat, cum bona

tres tunc mares adhuc superstites habebat, cum bona Munzenbergica ad ipsum devoluerentur, ex quibus Fridericus Casimirus 1685. & Johannes Philippus 1669. improles obierunt, solus Johannes Reinhardus familiam propagavit, cujus filii Philippus Reinhardus & Johannes Reinhardus nunc eandem sustentant.

Scutum Hanovicum septem areolas continet. 1. Est ipse Comitatus Hanovicus, qui cum olim Leone signaretur, ferunt Reinhardum Comitem, Adolphi Imperatoris affinem & in pugna decretoria 1298, quo hic ab Alberto I. Austriaco vita & Imperio privabatur, aquiliferum, captum à Victore & coactum esse, in memoriam cruenti illius prælii cantherios rubeos postea gestare. 2. Comitatus Reineck, cujus pars post mortem Philippi ultimi Comitis 1559. ad Hanovios devenit. 3. Comitatus Bipontinus qui post †. Jacobi ultimi 1570. per filiam Margaretam Ludovicam ad Philippum Hanovicum maritum transiit. 4. Dominium Münzenberg, cujus dimidium post †. Ulrici ultimi 1236. per filiam ejus Adelheidam ad Reinhardum Hanovium allatum est. 5. Dominium Liechtenberg in Alsatia inferiori, cujus dimidium 1458. per Annam Jacobi ultimi heredem ad Philippum Hanovium peruenit, qui ibi Liechtenbergensem ramum fundavit; altera medietas per sororem Elisabetham ad Bipontinos & hinc pariter ad Hanovios devoluta. 6. Dominium Ochsenstein, quod post Georgium ultimum ad Bipontinos 1459. & sic ad Hanovios peruenit. 7. Dominium Bitsch itidem ex Bipontina hereditate.

Galeæ adduntur sex: 1. Hanovica. 2. Bipontina. 3. Münzenbergia. 4. Reineccia. 5. Liechtenbergia. 6. Ochsensteinia.

COMI-



COMITES MANSFELDII.

Illustrissimi Comites hodierni de Mansfeld à Quern-
 furtensibus, (qui Nobiles Domini quondam appella-
 bantur, & ex quibus post Brunonem aliquem, qui an.
 850. commemoratur, etiam Lotharius II. Imperator ori-
 undus fuisse traditur, ex Quernfurtensi & Supplinbur-
 gensi Comite Dux Saxoniae & demum Augustus creatus)
 originem trahunt, qui sec. XIII. deficientibus antiqui-
 oribus Mansfeldicis, Comitiam sibi vindicarunt & præ-
 terea etiam Burggraviatum Magdeburgicum gesserunt.
 Magna autem ditionum pars i 496. ad Archi-Episcopa-
 tum Magdeburgicum delapsa est, hoc seculo per pacem
 Osna-

Osnabrugensem ad Electorem Saxoniae devoluta. Resi-

Osnabrugensem ad Electorem Saxoniae devoluta. Residuum utcumque tenuit familia, variis divisionibus & oppignorationibus successu temporum ad incitas fere redacta. Hodie duo rami supersunt: *Bornstedensis* & *Eislebensis*. Ex illo *Franciscus Maximilianus* & *Henricus Franciscus* summis officiis in aula Imperatoria funguntur, Catholicae religioni addicti. Hunc, nempe Eislebium ramum solus sustinet *Johannes Georgius III*, Evangelicae religioni deditus, in conjugio quidem, sed sterili vivens.

Scutum Mansfeldicum quadripartitum est. 1. & 4. iterum quadripartitae areolae, ex fasciis Quernfurtenibus & rhombis Mansfeldicis. 2. Aquilam continet Arnsteinensis Comitatus ad Hercyniam, quem Ulricus Reinsteinius Günthero & Bussioni fratribus, Com. Mansfeldicis 1387. vendidisse dicitur. 3. Leonem cum baltheo tessellato exhibet, Dominio Heldrungensi notando, quod Johannes Comes Housteinius circa 1480. vitrico Gebhardo Mansfeldio vendidisse perhibetur.

Galea hunc clypeum duae premunt: 1. Mansfeldio-Quernfurtenensis. (Sunt enim vexilla fasciata ut clypeus.) 2. Arnsteinio-Heldrungensis alas & colores Arnsteinias Leonemque Heldrungensem inter illas exhibens.

COMI-



COMITES SCHWARTZBURGICI.

Familiam inter Comites Imperii Illustrissimam Schvvarzburgicam vel à Witekindo quodam Nigro deducunt, à Carolo M. 779. capto & ad fidem Christianam adacto, vel à priscis Kevernburgensibus Comitibus, quos porro vel à Gothis, vel à Gallis accersunt. Quicquid autem hujus sit, ut omnia remotiora sunt obscura & incerta magis, sanè duo illustria antiqui splendoris sui familia habet argumenta : primum, quod ex ea Güntherus ad Augustam dignitatem 1349. eligi meruerit ; alterum, quod peculiari elogio, in *quatuor Comitibus Imperii* illustrioribus (Clivio, Cilejensi & Sabaudo

N

æqui-

æquiparati) numerentur Schvvarzburgici. Ex illis Hen-

æquiparati) numerentur Schvvarzburgici. Ex illis Henricus seculo XV. septem filios reliquit, inter quos tres Guntheri uxores duxerunt, sed quatuor Henrici Ecclesiasticam vitam secuti sunt. Guntherus medius stemma continuavit avusque Guntheri fuit, à quo omnes hodierni sanguinem trahunt; ex ejus enim filio Johanne Günthero, Arnstadenſis, ex altero Alberto, Rudelſtadenſis linea descendit, quibus hodie Comites distinguuntur.

Scutum mediante cruce 1. Aureis & cyaneis tæniis variata, in quatuor areas distinguitur, ex quibus duæ anteriores Schvvarzburgica, duæ posteriores Hohnsteinia symbola alternatim repetunt. 2. Leo Comitatus ipsius Schvvarzburgici est. 3. & 6. Arnstettensis. 4. & 5. Sondershusia Dynastia, quæ ab antiquo in Comitum potestate fuerunt. 7. & 10. Comitatus Hohnsteinensis, 8. & 9. Comitatus Lauterburgicus. II. Dynastia Clettenbergensis est. In has ditiones ex pacto successionis mutuae prætendere Schvvarzburgici cœperunt, postquam Ernestus VII. Hohnsteinensium ultimus familiam 1593. clausit; sed possessionem Brunsvicenses & Halberstadienses præoccuparunt. 12. Furca & pecten Archipponomi Imperii (*Reichs; Stallmeister*) munus notare fertur, quod penes Leutenbergicos, Schvvarzburgiorum agnatos, fuerit, qui superiori seculo defecere.

Galea tres imponuntur. 1. Schvvarzburgica, 2. Arnstattino-Sonderhusia. 3. Hohnsteinia. Telamones scutum sustinent Vir & Fœmina sylvestres, vexillum ex rubro & argento bipartitum manu gestantes.

COMI-



COMITES STOLBERGENSES.

ORiginem inclutæ hujus familiæ vulgata traditio ad Ottonem quendam de Columna refert, qui, nobilis Romanus, circa 566. Justino Imperatori cervum nigrum ingentis magnitudinis, in sylva Hercynia captum, dono miserit & simulacrum ejus in clypeo pingendum, cum arce Stolberga, chalybeis fodinis divite (quasi Stahlberg) hereditario jure receperit. Quamvis autem fabulosa hæc narratio videatur, verissimum tamen est, antiquitate hanc gentem cum quibusvis aliis contendere posse. Superiori seculo ineunte (nolumus enim altius adscendere) Botho Comes ex illa floruit, cujus fi-

N 2

lius

lius Ludovicus Caroli V, Ferdinandi I, & Maximiliani

lius Ludovicus Caroli V, Ferdinandi I, & Maximiliani II. Imperatorum Consiliarius fuit. Hujus fratre Henrico natus Christophorus, 1638 †, hodie superstitem avus fuit, ex utroque enim filio Henrico Ernesto & Johanne Martino nepotes supersunt.

Scutum plurimas areolas exhibet: 1. Cervus est Stolbergensis Comitatus, de quo narratiunculam retulimus. 2. Leo est Koenigsteinii Comitatus, seu Domini, haud procul Francof. ad Moenum siti, Bothoni Stolbergensi per conjugem Annam allati, postquam tres fratres illius, Eberhardus, Georgius & Philippus, & postremus quidem Eberhardus 1535, sine liberis extincti essent. 3. Comitatus Rupifortius (Roche fort) in Ardenna, quem Luifa, Annæ, modo dictæ, mater, Philippo Eppsteinio & Koenigsteinio attulerat, qui sic per gnatam ad Stolbergios devenit. 4. Comitatus Wernigerodensis, cujus Domini olim piscationi ab Imperatoribus dicuntur præfecti, ad Stolbergios autem 1329. jam pervenisse traditur. 5. Dominium Eppstein, quod Koenigsteinio junctum, simul cum eo devolutum est. 6. Fascia Marcana, Originem Luifæ denotans, quam Rupifortium attulisse memoravimus, 7. Dominium Muenzenberg, cujus pars ad Hanovios, pars ad Eppsteinios & sic ad Stolbergios delapsa. 8. Dominium Aigmont, quod ad Rupifortium pertinuit. Et hæc sunt tesserae Stolbergicæ, quibus notatæ ditiones magnam partem tamen in aliorum manibus sunt. Reliquum scuti Hohnsteinia symbola exhibet, Num. præcedenti quoque visa: 9. Clettenberg. 10. & 13. Hohnstein. 11. & 12. Lauterburg. Præsentio in hæc ex pactis mutuaë successionis.

Casides tres imminent. 1. Stolbergia. 2. Hohnsteinio-Eppsteinio-Koenigsteinia. 3. Rupifortia.

COMI-



*COMITES BENTHEMII, TECKLENBURGI
ET STEINFURTI.*

DEdimus ex Wetteravico Collegio aliquot Comi-
tum familias, nunc quoque ex Westphalico paucis-
simas subjungemus. Inter illas valde illustris est veterum
Tubantiæ Comitum memoria. Tubantes enim Cæsa-
ris Tiberiique ætate inter Germaniæ populos jam incla-
ruere, sed Comites eorundem à Principibus Palatinis &
Batavis, brevi post Caroli M. ætatem deducuntur. Ex
his Ebervvinus ducta Mechtilde, Balduini Bellicosi, Co-
mitis Steinfurtensis filia ac herede, Steinfurtensem Co-
mitatum familiæ acquisivit. Hujus pronepos Ebervvini-
nus,

N s

nus,

nus, accersita in matrimonium Anna, Conradi Comitis Tecklenburgici & Dynastæ Rhedensis 1557 †. filia atq; herede unica, illum quoque Comitatum suis adjecit. His parentibus natus Arnoldus, tres Comitatus complexus, ducta conjuge Magdalena, Humberti, Comitis, Nuenarii & Limburgi filia, mortuo 1589. fratre ejus Adolpho, Comitatum Limburgi ad Laynam in Westphalia, cum Lenepio Baronatu & Advocatia Hereditaria Colonien- sis Diœceseos, quæ penes Nuenarios fuit, sibi asseruit, cum antea Bedburn, Alpen & Helfenstein Dynastias dotis loco jam accepisset, quarum etiam in scuto fit me- mentio. Arnoldo, tot ditionum Domino, nati sunt Adolphus, à quo hodiernus Tecklenburgicus; & Ar- noldus Jodocus, à quo Bentheimio - Steinfurtensis ra- mus descendunt.

Scutum undecim symbola continet, quorum ferè omnium origo ex dictis patet. 1. Comitatus Bent- heimius. 2. & 3. Tecklenburgius, qui, quod olim ad mare usque porrectus fuerit, anchoram inde assumptam volunt, corda vero ex Angrivaria fluxisse nonnulli contendunt, 4. Steinfeldius. 5. Limburgius. Et hi sunt Comitatus, qui majori scuto continentur, sequun- tur Domina in minori: 6. Wevelinghofen, quod Ebervvino cuidam Benthemio per matrimonium ob- tigit. 7. Rheda, quod Tecklenburgio adhæsit. 8. Uchta, in Comitatu Hojensi, cuspis signum sunt pe- des Ursini. 9. Alpen in Coloniensi Diœcesi. 10. Hel- fenstein, quæ Limburgo adhæfere. 11. Advocatia He- reditaria Coloniensis.

Galea quatuor sunt: 1. Bentheimia, 2. Tecklenbur- gia, 3. Steinfeldia, 4. Limburgia,

COMI-



*COMITES ET NOBILES DOMINI
DE LIPPIA.*

EX Ubio-Romana Nobilitate Comites Lippiacos nonnulli accersunt, qui propterea etiam antiquum Nobilium Dominorum Titulum retinuisse censentur. Alii Ottonis III. Imperatoris ætate, duos fratres Ursinos ob discordias ex Italia in hanc provinciam commigrasse perhibent, quam traditionem ex insignibus roborare laborant, quæ tam Ursinis quam Lippiacis Rosâ constant. Alii non Ursinos, sed Rosinos, hos fratres nominant, ut propius cum nomine tessera conveniat; Sed viri graves indubiis monumentis demonstratum i-
runt,

runt. antiquiorem hanc gentem esse Ottonis III. tempo-

runt, antiquiorem hanc gentem esse Ottonis III. temporibus; siquidem Henrico Aucupi, proavo Ottonis, jam aliquis Eberhardus Dominus Lippiæ, adversus Hungaros 933. militasse fertur. Seculo XII. Bernhardus Comes inclaruit Lotharii II. Imper. Dux bellicus, qui ab eo Lemgoviam & Detmold cum Sassenburg accepit. Sequentibus temporibus Bremensem Archi-Episcopatum, Paderbornensem, Osnabrugensem & Monasteriensem Episcopatus diversi ex Lippiacis Comitibus, sacro ordini adscripti, tenuerunt, quibus immorari longum esset. Hoc seculo ineunte vixit & 1614. mortuus est Simon VI. Comes, communis trium Linearum, quæ hodie superant, ex totidem filiis autor, ex Simone VII. *Detmoldia*, ex Ottone *Brakensis*, ex Philippo *Bückenburgica*.

Scutum non nisi duo symbola alternatim repetita præfert: 1. & 4. Rosa est Lippiensis Comitatus ab oppido & amne homonymis sic dicti, quem Lotharius II. Imp. splendidiorum reddidit, Lemgovia, aliisque ad avitum Comitatum Obervald adjectis. 2. & 3. Comitatus Schvvalenburgio-Sternbergicus est, quem ipsa symbola (*die Schwalbe und der Stern*) loquuntur. us in Schvvalenburgicum Simon Comes Sec. XIII. per matrimonium adeptus est, quod ejus nepotes, † 1356. Henrico ultimo Comite, profecuti sunt. Sternbergio autem ultimo Comite 1399 †, diuturna cum Schaumburgicis contentio fuit, usque dum Bernhardus Bellicosus Lippiacus cum Anna Holfato-Schaumburgica Comitatum à Socero obtineret.

Galea insistit unica, nempe gentilis Lippiensis.

COMI-



fedem ibi fixit. Ejus posterii sobole & facultatibus aucti, in complures sese ramos diffuderunt. Ex his Johannes Dynasta in Breidenburg &c. &c. continuis sub tribus Daniae Regibus, bello & pace exantlatis laboribus, bello denique Dietmarsico feliciter confecto inclutus 1565 †, filium reliquit Heinricum, trium Daniae Regum in Ducatibus Slesvici, Holfatiae & Dietmarsiae Vicarium, Heroa doctissimum & magnum Literatorum Patronum, † anno superioris seculi postremo. Hujus ex Gerhardo filio nepos *Christianus*, itidem Vicarius Regius in Ducatibus, à Friderico Duce Holfato-Gottorpiensi partem Comitatus Pinnenbergici, quae illi post Ottonis, postremi Comitis Holfato-Schaumburgici, fata obvenerat & praefecturam Barmstede complectebatur, sibi 1649 comparavit & postmodum ab Imper. Ferdinando III. impetravit, ut in ordinem Comitum immediatorum S. Rom. Imperii 1650. eveheretur, inter quos etiam in scamno Westphalico locum obtinuit. Ei, 1663 †, filius Detlevus in dignitate successit.

Scutum hujus quadripartitum: 1. & 4. gentilitia est Ranzoviorum tessera. 2. & 3. Leisnicio Comitatu designando servit. 5. Ex eadem vetusta Leisnicia possessione aliquid & fortasse Penicium Dominium signat.

Galea tres prominent coronatae. 1. Ranzovia, cui cum Comitatu superior corona adjecta. 2. & 3. ad Leisnicias areolas referendae.

**PARTIS PRIMÆ
FINIS.**



Faint, illegible text or markings on the left side of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text or markings at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.





PRÆFATIO

PARTIS II.

QUæ indolem hujus opusculi in universum spectant, L. B. Pars Prima paucis præfata est; nunc Ordo saltem tradendus, qui in hac Parte secundâ servatur. Cum enim Summæ in Orbe Potestates, quatenus tales, sibi invicem subordinatæ non sint, adeoque nulla alteri præferri aut postponi queat, ordo Geographicus heic sectandus præcipuè fuit, ita ut, ab Italia initio factò, per Galliam in Hispaniam & extremam Lusitaniam pergeretur, indeque cursu reflexo, per Britanniam, Daniam & Sveciam in Poloniam & extremam Russiam series Insignium continuaretur, tandem vero, ad centrum Germaniæ recurrendo, circumjacentium eidem Liberarum Rerumpublicarum Arma subjicerentur; In una verò regione, ut Italia, plura occurrentia Insignia, ita disponentur, ut Regnis Ducatus, his Respublicæ subjungerentur, salvo, quod alias unicuiq; competit præferentiæ jure, utpote quod ex ejusmodi libellis nec acquiri, nec iisdem lædi potest. Hisce Vale L. B. &, si hæc opella non displicet, plura etiam Exterorum Insignia posthac exspecta.

CON-

CONSPECTUS
HERALDICÆ

Pars Secunda

POTESTATUM
EXTRA GERMANIAM

Precipua

INSIGNIA

sistens.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or title page.





COMITES RANZOVII.

Generosissimam Ranzoviorum familiam Holsatiæ
innatam esse atque ex ea, multis retro seculis, in Lu-
fatiam transmigrasse, hujus, nec non Misniæ Marchina-
tum fide sua erga Imperatores promeruisse, postea vero
Comitum Groicii, Burggraviorum Leisnicii, Domino-
rum Budissinæ &c. &c. titulis eminuisse, inde denique
iterum in Holsatiam rediisse, constans Schriptomum est
opinio. Otto enim Heinrici II. Burggravii Lisnicensis
filius minor natus, relicto natali solo, trans Albim, ad
incunabula gentis suæ postliminio pedem reflexit &
condito in Wagria sub finem seculi XII. castro Ranzovv,
O fedem

COU

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

WILHELM
BUCHER

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.





PONTIFEX ROMANUS.

PRimus huic inter Italiae Proceres competit locus, reliquis, (etiam extra Italiam plurimis) ultro cedentibus. De Origine Pontificatus, praecipue sub forma ista Monarchica, qua nunc fulget, non attinet multa dicere, cum voluminum plaustris haec sint exposita. Sufficiat eos Pontifices commemorasse, qui a dimidio seculo sedem Romanam obtinuerunt: 1645 † Urbanus VIII. ex Barbarina Florentina familia, post 23. annorum Pontificatum, cui succedebat Innocentius X. ex Pamfiliis † 1655, huic Alexander VII. antea Fabius Chigi Senensis † 1667, huic Clemens IX. ex Rospigliosorum familia † 1670,

† 1670, huic Clemens X, antea Æmilius Altieri dictus
† 1676, huic Innocentius XI, Odescalchus prius appella-
tus † 1689, huic Alexander VIII. Venetus antea Ottobo-
ni nominatus † 1691. post 16. mensium regimen, in cu-
jus locum post 5. mensium lites die 12. Julii 1691, à Car-
dinalibus electus est is, qui nunc sedem occupat *Inno-*
centius XII. Pontifex Maximus, antea *Antho-nius Pi-*
gnatelli dictus, Cardinalis & Archi-Episcopus Nea-
politanus.

Insignia Pontificum Romanorum constant clavibus
in decussim positis, dextra aurea, sinistra argentea, liga-
culo aureo vel cæruleo copulatis, quarum altera Ligans,
altera Solvens esse creditur, ex ea institutione, qua Chri-
stus Petro claves tradidit, cuius Successores esse Pontifices
Romani prætendunt. Et quamvis Julius II. Pontifex, sub
initium superioris seculi, claves in Tiberim abjecisse fe-
ratur, nihilominus à Successoribus servatæ & aliquando
in solo purpureo gestatæ fuerunt, sed hodierni Pontifi-
ces post scutum gentilitium disponere solent, ut in pro-
posita figura apparet, ubi Clavibus Ecclesiæ incumbit
parmula Nobilium Neapolitanorum Pignatelliorum,
tres atras Ollulas (idem Italicum *Pignatelli* notat) in
aureo solo sustinens.

Galea loco scuto imponitur turrata Pontificis Roma-
ni Tiara, triplici coronâ cincta, quam *Regnum Mundi*
vocant. Triplici autem corona potestatem Pontificis in
Ecclesiam Universalem, tam Militantem, quam Tole-
rantem & Triumphantem notari venditant.

REX



R. NEAP.



R. SICIL.



R. SARDIN.



DUC. MEDIOL.

REX NEAPOLEOS, SICILIAE, SARDINIAE,
DUX MEDIOLANI.

Conjuximus in hac lamina omnia illa Regna & Provincias, quæ Regi Hispaniarum hodie in Italia parent, ut sunt :

Regnum Neapolitanum, quod & Siciliae citerioris dicitur. Hoc post Romanos Græci & Saraceni tenuerunt, hos expellere Normanni cœperunt seculo XI. ineunte, Tancredi Ducis posterius, qui primum Comites, mox Duces Apuliae & Calabriae, tandem Reges utriusq; Siciliae 1130. evasere, sed sub finem ejusdem seculi XII. cum Gvilielmo Malo Rege defecerunt, cujus filia Constantia Henrico VI. Imperatori, ex Sveviae Ducibus oriundo,

... Regno attulit. cuius posteritas 1268. cum Conra-

undo, Regna attulit, cujus posteritas 1268. cum Conrado interit. Quo facto, Pontifices Carolo Andino, Ludovici IX. Regis Franciæ fratri, Regna contulerunt, cujus posterum ab Arragoniis Hispanis primum Sicilia, post etiam Neapoli expulsi sunt, unde varia Neapoleos Insignia emerere. Sub Normannis enim baltheus ex argento & cyano in solo rubeo, fuisse fertur, quamvis alii binos Leones Normannis tribuant; sub Svevis tres Leones Svevici etiam hæc Regna notasse traduntur, ut nos in appositis vexillis quodammodo expressimus; sub Andinis Lilia Francica allata esse constat, quæ discerniculi causa ponticulo rubro notabantur; sub Arragoniis palos Arragoniæ obtinuisse credunt, qui in seq. scuto Siculo apparent; nos usitatissimum Andino-Neapolitanum heic expressimus.

Regnum Sicilia (ulterioris) cum Neapoli conjunctum fuit, usq; dum Franco-Andini per Vesperas Siculas 1282. omnes trucidarentur & Petrus Arragoniæ Rex testamento sibi à Conrado Svevo legatum Regnum occuparet, cujus posterum præter Arragonios palos, etiam Aquilas duas in scuto gestarunt, quas Fridericus II. Imperator ex Svevis, Sicilia suæ ex Imperialibus insignibus dederat, ut sic jus suum à Svevis ortum ostenderent; Et quamvis postea etiam Neapoleos Regnum accederet, tamen odio quodam à Liliis Francicis abstinuisse & his Insignibus utramq; Siciliam notasse videntur.

Regnum Sardinia per Pisanos & Genuenses Saracenis, his iterum à Pontificibus creptum, Jacobo II. Arragoniæ Regi, sub finem seculi XIII. concessit Bonifacius VIII. Papa. Insignia sunt prisca Arragoniæ.

Ducatus Mediolanensis primum Vice-Comites, post Duces habuit Galeacios, his succedere Sfortiæ, quibus 1535. deficientibus, Carolus V. Imperator filio Philippo II. Hispaniarum Regi, Ducatum feudo Imperiali concessit, cujus posterum adhuc tenent. Tessera est Bea carulea gyris complicata, faucibus infantulum coccineum tenens. Similis supra casidem antiquam inter alas eminet.

REGA-



REGALIS DUX SABAUDIÆ.

Celsissima domus Sabaudica à Beraldo, seu Bertoldo quodam genus suum deducit, quem à Witikindo Saxone porro derivare amat, quemque Rudolphus V. Rex Burgundiæ, 1000. ipsa Sabaudia donasse fertur. Ex hujus posteris Amadeus III. Imperii Comes ab Imp. Henrico III. creatus, sed Amadeus VIII. à Sigismundo Imp. 1416. ad Ducale fastigium evehctus est; Cui cum eodem seculo XV. prætensio in Cypri Regnum accederet, Titulus Celsitudinis 1545, & Regiæ Celsitudinis 1633 ab hisce Principibus assumtus & ante paucos annos ab Imperatore confirmatus est Victori Amadeo II, Duci hodierno.

P

Scutum

Scutum hujus splendidissimum est. 1. notat Sabaudia Ducatum vel Pedemontii Principatum, quem Beraldi, primi gentis autoris, nepos Oddo per conjugem una cum Susa accepit. Crux autem hæc cum illi prorsus similis sit, quam Equites olim Rhodisii, nunc Melitenses gestant, ferunt Amadeum M. Comitem eandem ab Equitibus concessam obtinuisse 1310, ob Rhodum Christianis contra Turcas assertam, additis Literis F.E.R.T. *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit*, sed alii hoc in dubium vocant. 2. Regnum Hierosolymitanum signat, quod Cyprio olim conjunctum fuit. 3. Lusinianam familiam, quæ Cypri Regnum tenuit, ex quo Guido Lusinianus, antea Hierosolymorum Rex, à Richardo Angliæ Rege, 1191, eam Insulam, Græcis per arma ereptam, accepit. Ex cujus posteris ultima Carola heres Cypri & tituli Hierosolymitani, Ludovico Sabaudo 1458. secundis nuptiis juncta, prætensionem attulit, quamvis Veneti Regnum præriperint, ipsis à Turcis iterum ereptum. 4. Armeniam in Asia designat, cujus Rege ultimo christiano, Leone III. 1393 †, Jacobus agnatus Rex Cypri titulum suis adjecit, cum quo ad Sabaudos transiit. 5. Vulgo Lucemburgi symbolum creditur, sed alii pro ipso Cypri Regno sumere malunt. 6. 7. 8. Saxoniam originem ex Witikindi prosapia testari debent, quo jure, viderint alii. 9. Chablesii. 10. Augustæ Ducatus in Alpibus, qui Humberto Beraldi filio obtigisse, & à Frederico II. Imp. Ducali axiomate ornati censentur. 11. Nicæ seu Gebenensium Comitatus aut Principatus est, 1401. Amadæo VIII. venditus. 12. Marchionatus Montisferrati, cujus Principibus 1533. extinctis in partem hereditatis Sabaudi successere.

Galea tres eminent Regiæ sine clathris apertæ, media etiam corona Regia testæ, ex his 1. Sabaudica. 3. Saxonica est, de 2. non satis constat, crediderim tamen esse Cypriam. Telamones adduntur bini Leones. Circumdatur etiam torques Ordinis Annunciationis &c. &c.

MAGNUS



MAGNUS DUX HETRURIAE.

INclutissima familia Medicea per multa jam secula Florentiæ & alibi in Italia floruit, seculoque imprimis XIV. Silvestrum protulit, Florentinorum velut Dictatorem, cujus agnati sequentibus etiam temporibus summas in Republica patria obtinere honores, usque dum Alexander Mediceus rogatu Clementis VII. Pontificis, qui etiam ex Mediceis erat, à Carolò V. Imperatore 1530, Florentiæ, à se captæ, Dux constitueretur, data in matrimonium Cæsaris filia naturali Margareta. Post hunc 1537. cæsum ex agnatis Cosmus de Medicis principatum patriæ consecutus est, qui postea etiam Senarum

P 2

civita-

civitatem occupavit. Hunc Papa Pius V. itidem ex Mediceis, cum Regem non auderet, Magnum Ducem Hetru-riæ creavit 1569. Cui titulo quamvis Imperator Maximilianus II, acriter contradicere, † tamen Cosmo 1574, permoveri se passus est, ut filio ejus Francisco, 1575. eundem, tanquam Imperii beneficiario, confirmaret, quem ejus ex fratre successores retinuerunt, usque ad hodiernum Cosmum III.

Scutum familiæ hujus atretum est quinque pilis coccineis impressum, super quas una eminet cærulea, tribus Liliis Francicis figurata. Originem quidam à pilulis Medicorum deducunt, ac si primus Mediceus Medicus fuisset. Alii Eberhardum quendam Mediceum Caroli M. militem, bello contra Longobardos, aureo scuto ictum gigantis sustinuisse tradunt, qui clava, quinque globis cruentis onusta eum impetebat, unde parmam vestigiis globorum signatam à gente servatam volunt, sed res fabulam olet. Supremæ pilæ liliis Francicis signatæ certior origo, utpote quam Ludovicus XI. Gallia Rex Petro Mediceo concessit sec, XV.

Galeam inter & scutum Corona planè singularis inferitur à Pio V. Pontifice data, quæ propterea etiam peculiari nomine Hetrusca appellatur. Super galeam coronatam lilio coccineo sinistro pede insistit falco argenteus, dextro elevato annulum aureum tenens, adamante acuminato instructum cum argenteo volumine per annulum trajecto, cui literis aureis inscripta vox, SEMPER.

DUX



*DUX MANTUÆ, MARCHIO MONTIS-
FERRATI.*

Serenissimi Duces Mantuani, ex Illustrissima Gonzagarum gente, ab Hugone quodam deduci amant, quem Lotharii I. Imper. pronepotem faciunt, 946. defunctum, qua ratione ex Caroli M. profapia ortum traherent. Ex his Aloysius sive Ludovicus Gonzaga sub Carolo IV. Imp. 1329. Capitaneus Mantuæ primum factus est. Hujus abnepos Johannes Franciscus primus Marchio Mantuæ à Sigismundo Imp. creatus 1433. Hujus abnepos Fridericus II. demum à Carolo V. Imp. 1530 primus Mantuæ Dux constitutus fuit, cujus atnepos est Dux hodiernus Carolus IV.

P 3

Scutum

Scutum ejus adeo amplum est, ut vix ullum majus

Scutum ejus adeo amplum est, ut vix ullum majus
 reperiatur, dividitur autem in 4. majores quadras, quæ
 eadem symbola alternatim bis repetunt. 2. & 3. Mantua-
 na, reliquæ duæ Nivernia symbola continent. Mantua-
 na tessera est crux pedata cum 4. aquilis nigris, Johanni
 Francisco data, cum primus Marchio crearetur. Hujus
 medio incumbens parmula, 9. areolas complectitur,
 quæ ob exiguitatem numeri adscribi non potuerunt,
 signant autem, Aquila Imperium Orientale, Leo Lom-
 bardiam, Fasciæ Gonzagiam familiam, Crux Constan-
 tinopolin, Pali Arragoniam, Caput scuti rubeum in ar-
 gento Marchionatum Montisferrati, Trabes & sertum
 Saxoniam, Mulli cum cruciculis Barrensem Ducatum,
 Crux denique cum cruciculis Regnum Hierosolymita-
 num. Ex his Leo Lombardicus cum fasciis ab omnibus
 Gonzagis gestatur, sed reliqua 7. symbola ad Montis-
 ferrati successionem pertinent, cujus prisci Marchiones
 ex Alramo Saxone prognati, cum defecissent, Jolanta s. Violan-
 ta heres, ad Andronicum Palæologum Constantinopolitanum
 Imperatorem attulit, cujus filius minor natus Theodorus, novos
 Marchiones profecit, † 1338, qui cum Johanne Georgio 1533.
 defierunt, nepte Margareta hereditatem ad Fridericum Ducem
 Mantuæ adferente, cui Carolus V. Imp. 1536. eandem confir-
 mavit, quamvis Sabaudi contradicerent. Reliquæ duæ quadra
 majoris scuti Nivernia symbola complectuntur: Ludovicus
 enim Gonzaga, Friderici filius, per Henricam Cliviam Niver-
 nii Ducatum in Galliis nactus est, cujus possessores ob diversa
 matrimonia hæc tesseras gestabant. 4. Clivensis Ducatus,
 5. Marcæ, 6. Artesiæ Com. 7. Brabantini, 8. Burgundici,
 9. Retelensis. 10. Albretano-Orvallii Ducatum in Galliis,
 quibus denique accedit Alenfonium symbolum, medio totius
 scuti injectum. Singula explicare angustia prohibet.

Galea coronata vel Aquilam Mantuanam, vel Olympum
 montem cum ara & verbo FIDES, sustinet. Telamones addun-
 tur Aquila Mantuana Cygnusque Cliviorum & circumponitur
 Torques Ordinis S. Sacramenti.

DUX



*DUX MUTINÆ seu MODENÆ
ET REGII.*


E Stensis sive Atestina domus à multis seculis in Italia illustris fuit. Ex hac Azo Atestinus Conradum II. & Henricum III. Augustos, seculo XI, in Germaniam fecutus, Cunigundam Guelphorum primorum, qui etiam Bavariæ Ducatum tenuere, heredem meruit conjugem. Ejus filii duo fuere: Natu major Welfus sive Guelphus, Altorfii Comitatum & Bavariæ Ducatum ab Henrico IV. Imp. nactus, ad posteros transmisit, qui Saxoniam insuper adepti sunt & per Henricum Leonem Celsissimos Duces Brunsvico-Luneburgenses propagarunt; Alter

Alter Azonis filius, patri cognominis, in Italia stirpem Atestinam continuavit, quæ diversas ibidem amplissimas Civitates & provincias, diversis temporibus tenuit, imprimis Ferraria diu eorum, ut Marchionum, regimine gavisa est. Demum cum Fridericus III. Imp. 1452. Borsum Atestinum Ducem Mutinæ & Regii creasset, Papa Paulus II. in Ducem Ferrariæ 1470. eum pariter evehebat. Cui 1471 †, succedebat frater Hercules & huic filius Alphonsus I, qui cum ex duplici conjuge, Lucretia Alexandri VI. Papæ filia & Laura ignobili foemina, liberos suscepisset & ex Lucretia nepos Alphonsus II. sine prole 1597 † esset, Pontifices Ferrariam ad Ecclesiam Romanam retraxerunt; sed ex Laura nepos Cæsar Estensis à Rudolpho II. Imp. obtinuit ut Dux Mutinæ & Regii confirmaretur, cujus pronepos est hodiernus Alphonsus IV.

Scutum sequentibus superbit tesseri: 1. Aquila est Estensis sive Atestinæ gentis, 2. Medius palus Ecclesiæ Romanæ claves & coronam refert, Ferrariensis Ducatus memoriam, 3. & 6. Aquila est Imperialis gratiæ Augustæ donum, quod Imperii Principes sint Mutinenses. 4. & 5. Lilia sunt Francica à Carolo VII. Rege 1432, Nicolao Atestino Ferrariæ Marchioni, sed cum Limbo discretivo, concessa.

Galea coronata Aquilam sustinet, colore Imperialem, sed forma & corona Atestinam. Laciniæ utriusque respondent.

DUX



DUX PARMÆ ET PLACENTIÆ.

FArnesiam gentem à plurimis retro seculis Ecclesiæ Romanæ fidelem, eam contra varios hostes defendisse ferunt; Nomen à Farneto Ethrusco rum castello ducunt. Ex hac Papa Paulus III. sedi Romanæ 1534. impositus, filium suum naturalem Petrum Aloysium, 1545. gemino Ducatu Parmæ & Placentiæ ornabat. Et quamvis hic à conjuratis 1547. trucidaretur, filius tamen Octavius, avi Pontificis favore, qui demum 1549 †, successionem obtinebat & ducta Margareta, Caroli V. Imp. filia naturali, in ditionibus se confirmabat. Ex hoc conjugio natus est inclutus Heros Alexander

Q

Farne-

Farnesius, superiori seculo bellis Hispanicis satis clarus
† 1592, cujus pronepos est hodiernus Dux Rainutius II,
cujus filius primogenitus Odoardus 1690. in matrimo-
nium duxit Dorotheam Sophiam Palatinam, Imperatri-
cis hodiernæ sororem.


Scutum Ducale hæc areolas numerat: 1. & 4. Far-
nesiorum gentile symbolum. 2. & 3. Austriæ & Burgun-
diæ tesseras, ob Margaretam, Caroli V. filiam, Octa-
vio Farnesio nuptam, assumptas, 5. Lusitanica seu
Portugallica Insignia sunt, in quod Regnum Parmen-
ses prætere cœperunt 1580, post mortem Henrici, ex
antiquis Regibus ultimi, quod Alexander Farnesius
Mariam, Lusitanæ Principem, Emanuelis Regis
neptem, conjugem haberet. 6. Medius palus Pon-
tificis vexillo & clavibus insignis, notat dignitatem
Confalonarii seu Dictatoris Ecclesiæ.

Galea ex coronata erumpit Monoceros argenteus,
capite in lævam obverso, juba, barba & cornu aureis,
cervice argenteo vinculo colligata. Laciniæ dependent
aureæ & cyaneæ.

RES-



RESP: VENETA.



RESP: GENUENS.



RESP: LUCENS.



ORDO *Pro W. Hilde* MELIT.

**RESPUBLICA VENETA, GENUENSIS, LUCENSIS,
ORDO MELITENSIS.**


S*erenissima Respublica Veneta* inter liberas Italiae Respublicas primum locum non solum merito obtinet, sed & pra Ducibus, cum Regibus conferri praetendit. Hujus fundamenta jacta circa 421, incolis Italiae, metu Attilae, & Hunnorum in insulas Maris Adriatici concedentibus, ubi ex tuguriolis tandem potentissima Urbs surrexit, mari velut inaedificata. Hanc ab initio Tribuni regebant, annua potestate. 697. primus Dux creatus Paolucius Anafestus, summa tamen rerum apud Senatum Patriciorum manente. Circa 997, Ottone III. Imperatore, Histria & Dalmatia ab Urseolo Duce occupa-

ta. 1177. Alexander III. Papa Venetis in odium Friderici I. Imper. Dominium Maris Adriatici dedit, quod quottannis die Ascensionis, annulo injecto, sibi desponsare adhuc hodie solent. 1203. ex Balduini Flandri expeditione Insulas Græciæ & in his Cretam obtinuerunt. Sec. XIII. & XIV, rebus Italiæ turbulentissimis, Veronam, Tarvisium, Patavium aliaque plura loca in Terra firma, ut vocant, jure gladii sibi acquisiverunt. 1476. Cypri regnum Sabaudis præreptum. Hoc seculo Candia 1669. à Turcis ipsis erepta, quibus tamen hoc præsentis bello Moream & alia loca iterum extorsere. Dux hodiernus est Franciscus Maurocenus. Scutum Reip. est Leo S. Marci (quem Patronum Resp. habet) alatus, librum unguibus tenens, cui inscripta verba: *Pax tibi Marce, Evangelista meus.* Corona Regia imponitur.

Respublica Genuensis olim potentissima, ad Bosphorum Cimmericum usque dominium suum extendit. 1327. primus Dux Dominicus Fulgosus eligebatur, postea à Gallis aliquoties suppressa, usque dum Andreas d'Auria 1522, ope Caroli V. Imp. eam in pristinam libertatem restitueret, quam adhuc tenet, quam vis 1684. misere à Gallis afflictæ. Scutum argenteum ornat Crux rubra.

Respublica Lucensis à Rudolpho I. Imper. sec. XIII. libertatem obtinuisse fertur, quam adhuc tuetur & in scuto exprimit, ubi in baltheo, auro fimbriato, legitur aureis literis: LIBERTAS.

Ordinis Johannitici sec. XI. instituti, post 1308. *Rhodiis*, 1530. *Melitenis* dicti, mentionem supra, Parte prima, fecimus, cum de Magistro hujus Ordinis per Germaniam sermo esset. Heic ob Insulam Maltam Italiæ adjacentem & Regno Siciliæ subjectam commemoravimus. Insigne Ordinis est Crux argentea cum symbolo, PRO FIDE. REI.



*REIPUBLICÆ VENETÆ PLENIUS
SCUTUM.*

DUm hæc scriberemus, commodissimè se nobis obtulit ex Supplementis Actorum Eruditorum Lipsiensium Sect. I. p. 14. plenius scutum Venetum, nitidissimè æri incisum, quod prætermittere haud potuimus, sed huic Heraldicæ nostræ utique inferendum duximus, quod (ipsis Doctissimis Collectoribus censentibus) plene adeò ab aliis depictum ac descriptum vix offendatur. Desumptum autem hoc scutum ex *Julii Cæsaris de Beatiano Feciali Veneto* (L' Araldo Veneto) ante paucos annos in lucem edito, cujus mentem Collectores Lipsienses sic exprimunt:

Q 3

Scutum

Scutum Reip. Veneta tribus lineis perpendicularibus
 totidemque transversis in 16. membra dispescitur, qui-
 bus superfsternuntur 5. scuta minora ad formam crucis
 disposita. Ex hisce scutulis 1. quod centro incumbit,
Venetum est, (â nobis Num. præced. expressum,) 2. su-
 premo loco collocatum *Cypri* insignia exhibet. 3. Late-
 ri dextro superinjectum *Cretense* regnum denotat. 4.
 Quod sinistrum crucis latus occupat *Dalmatia & Alba-*
nia regnum designat. 5. Denique ad regnum *Istriae* spe-
 ctat. Quod sedecim scuti majoris membra attinet, ex-
 hibent ea, 6. Aquilam *Forojulensem*. 7. Crucem *Pa-*
tavinam. 8. Crucem *Tarvisinam*. 9. Crucem *Belu-*
nensem. 10. Crucem *Veronensem*. 11. Leonem *Brix-*
nensem. 12. Crucem *Vicentinam*. 13. Turrim *Veltri-*
ensem. 14. Scutum perpendiculariter sectum, hinc
 rubeum, illinc aureum, quod *Bergamo* proprium est. 15.
 Transversim argento & rubro bisectum, *Cremanam* deno-
 tans. 16. Argonautarum navim *Corcure* insulæ signum.
 17. *Zacynthi* symbolum, hyacinthi florem argenteum.
 18. Turrim, quam in sigillo suo *Hadria* ostentat. 19. In-
 signia *Rhodiginae* peninsulæ, castello, cui Leo Venetus
 insistit, constantia. 20. Crucem S. Georgii rubeam,
 qua *Cephalonia* Insula in insignibus utitur. 21. Equum
Crepse & Absori insularum tesseram.

Papilio regius scuto huic circumdatur, quem heic
 angustia exclusit; Mitram igitur peculiaris formæ, seu
Coronam Venetorum Duci propriam, simpliciter tantum
 imposuimus, quæ etiam medio scutulo incumbit.

REX



REX FRANCIAE ET NAVARRAE.


EX Italla in vicinam Galliam trajicientibus nobis, ipsius Regis Christianissimi exornatissima Insignia oculos implent. De Regibus Franciæ prolixè dicere supervacaneum omninò esset. Primi Merovingi dicuntur, à Meroveo, qui à 450. ad 750. obtinuerunt; sequentes Carolingi, à Carolo I. M. qui à 750. ad 987. Regnum tenuerunt; postremi Capetingi, ab Hugone Capeto, qui iterum in tres classes distingui possunt, Veteres Capetings, ad 1327. Valesios à Philippo Valesio ad Henricum III. trucidatum 1589, & Bourbonios, inde ad nostra usque tempora, ex quibus primus erat Henricus IV, inter-

interfectus 1610. alter Ludovicus XIII. † 1643. tertius hodiernus Ludovicus XIV. natus 1638.

Scutum ab his gestatur combinatum. 1. Francicum est, tres Liliorum flores in solo cæruleo sistens. Olim bufoes totidem fuisse tradunt, sed documentis non satis stabilibus. Qui Liliorum usum perennem defendunt, Clodovæo 495. baptizato, primo Francorum Regi Christiano (unde Regis Christianissimi & primigeniti filii Ecclesiæ titulus) ab angelo scutum Liliis conspersum allatum fuisse venditant, sed nullo sufficienti testimonio. Alii non Lilia, sed spicula hastarum esse contendunt, cum figura Liliis minus conveniat. Quod numerum attinet, olim certus non erat, sed totum scutum Liliis sparsis opplebatur, ut ex Neapolitano & Burgundico symbolo patet, sed postea ternarius placuit, quod mysterio non carere crederetur, qui adhuc hodie servatur. 2. Navarrenum est, Catenam auream cum Smaragdo in rubro exhibens ex eo, quod Sanctius Navarræ Rex Smaragdum, Maurorum Imperatorem 1242. vicisse & catenas, quibus hostes aciem cinxerant, à se perruptas in scutum transtulisse fertur, quamvis alii de historiæ veritate dubitent. Francico autem hoc scutum agglutinatum, ex quo Henricus IV. rerum potitus est, ex Antonio Bourbonio & Johanna Navarreni Regni herede natus.

Galea huic scuto imponitur regia priorsus aperta, corona regia clausa tecta. *Papilio* imponitur regius, cum alia majori corona & symbolo militari Francico. *Telamones* adstant bini Angeli, vexilla, Francicum & Navarrenum, altera manu tenentes. *Torques* Ordinum Regiorum, S. Michaelis & S. Spiritus etiam scuto circumponi solent.

DELPHI-



DELPHINUS, FILII & PRINCIPES SANGUINIS FRANCIE.

D*elphinus* in Francia appellari solet Regis primogenitus & regni heres. Hoc nomen inde est, quod Humbertus, ultimus ex Comitibus Viennensibus (qui omnes Delphini vocabantur) prole destitutus, Carolo, tunc Duci Normanniæ, Philippi Valesii filio natu minori, post Regi hujus nominis V, Delphinatum ea conditione dederit, ut maximus natu Regis filius, coronæ dein successor, Delphini nomen gestaret. Scutum hujus 1. & 4. arcis, Lilia regia. 2. & 3. Delphinum refert. Corona imponitur clausa quidem, sed duobus tantum semicirculis.

R

Dux

Dux Burgundia, qui nunc in Galliis appellatur est Delphini filius natu maximus, cuius Scutum quadripartitum 1. & 4. recentiora, 2. & 3. antiquiora Burgundiæ symbola repetit. Dedit autem Rex hodiernus huic nepoti suo hunc titulum ex eo, quod omnem Burgundiam pace Neomagensi 1679. sibi vindicavit.

Dux Andinus hodie in Galliis est Delphini filius secundo genitus, Hic regio scuto discretionis causa circumdat limbum rubeum. Olim autem Andinis scutum erat liliis sine numero sparsum, imposita lambella 5. segmentorum, quod in Regno Neapolitano vidimus.

Dux Bituricensis hodiernus est Delphini gnatus tertius. Is scuto regio dentatum Limbum rubeum circumponit.

Dux Aurelianensis hodie est Regis frater unicus Philippus, qui tribus Liliis imponit fasciolam trifidam argenteam. Et hi omnes vulgo vocantur *Filii Franciæ*, immediate ex Regibus (sive defuncto, sive regente, sive futuro) nati, quorum propterea Coronæ ex meris Liliis constant, cum reliquorum, qui jam sequuntur, utpote ex Regio sanguine quidem, unde *Principes Sanguinis* vocantur, sed non immediate natorum, Liliis alia folia intermixta habeant.

Dux Bourbonius, qui hodie communiter Princeps Condeus appellatur, Liliis pro discerniculo interferit bacillum diagonalem rubeum.

Dux seu Princeps Conti Condeo scuto addit Limbum rubeum. Plures heic circa medium clypeum Regium ordinare Principes Franciæ non licuit.

DUX



DUX LOTHARINGIÆ.

Serenissimorum Lotharingiæ Ducum successio adeo intricata est, ut unica angusta pagella vix explicari, neq; tamen sine illa symbolorum scutariorum origo intelligi possit. Dabimus igitur, quantum licet. Primos Lotharingiæ Duces à Lothario Caroli M. pronepote descendisse certum est, sed illi defecerunt. Post ex aliis diversis, & demum ex Alsatia Principum familiis eos successisse volunt, qui nunc superant. Ex his Carolus Audax 1430 †, filiam Isabellam reliquit, Renato Andino, Regni Neapolitani scripto heredi, nuptam, qui propterea Lotharingiam occupavit, sed opposuit se ei Antonius Valdimontius, ex fratre Caroli Friderico na-

R 2

tus

tus & captum 1421. Renatum, non dimisit, nisi pactis |

tus & captum 1431. Renatum, non dimisit, nisi pactis nuptiis Jolanthæ, Renati filia & Friderici, qui Antonii filius erat. Natus his parentibus Renatus Lotharingus, qui Regium à matre & avo Renato titulū assumpsit, pater fuit Antonii & Claudii, à quo Gvisii in Gallia descendunt. Antonius vero Lotharingia Dux cum Ferdinando I. Rom. R. 1542 pactus est, ut Ducatus liber esset. Hujus ex Francisco nepos Carolus Dux 1608 † reliquit Henricum Ducem & Franciscum Comitē Validimontis; Henricus 1624 †, non nisi filiam Nicolæam, Carolo, Francisci filio, nuptam, quæ à marito deserta, 1657 †, Regi Franciæ jus suū in cessit. Carolus haud simplici vice ejectus & restitutus 1662. à Rege Franciæ inducebatur, ut post mortē, Lotharingiam Gallis addiceret, sed contradixit fratris Francisci Nicolai & Claudie, quæ Nicolææ soror erat, filius Carolus Leopoldus inclutissimus Heros, Dux Lotharingia, pace Neomagensi restitui quidem jussus, sed à Gallis indignè habitus, ejus soboles sub matre Eleonora Maria Austriaca, Leopoldi Augusti sorore, adolescit, postquam ipse 1690. fatis concessit

Scutum septem areolas numerat: 1. Ipse Ducatus Lotharingia, baltheus Alsatico-Badensi prorsus similis, unde origo gentis, aquilulas autem 3. in eo volantes ad Godofredum Bullioneum fabula refert. 2. Regnum Hungaricum, cujus coronam Carolus, ex Andinis, Rex Neapolitanus 1385. suscipiens, titulum posteris reliquit. 3. R. Neapolitanum ab Andinis possessum. 4. R. Hierosolymitanum in quod prætensionem Carolo I. Andino Regi Neapol. cessit Maria Amalrici R. Hieros. neptis 1276. 5. R. Arragonicum, quod Renatus Andinus ob matrem Jolantham Arragoniam scuto inseruit. 6. Familiæ Andinæ posterioris symbolum ex qua Renatus erat, hæc omnia ob Jolantham ejus filiam, à marito Friderico Lotharingo assumpta. 7. & 8. Geldria geminata tessera ex eo, quod Renatus Lotharingus Philippam Caroli ultimi Geldria Ducis 1538 † sororem in matrimonio habuerit. 9. Ducatus Barrensis, quem Ludovicus ultimus 1419 Renato Andino sororis suæ nepoti legavit.

Galea imponitur corolla tortili & corona, supereminente Aquila, tecta. Telamones adstant Aquilæ coronatæ & circumponitur pallium Ducale Lotharingis proprium, PRIN-



PRINCEPS ARAUSIONENSIS.

INter Illustres Galliaë stirpes seculo XIII. jam floruit Cabillonensis seu Challonia, ex qua sec. XIV. Johannes Challonius, Dn. Arlæus, uxorem habuit Raimundi Bauscii, Principis Arausionensis filiam & heredem, à qua 1388. in possessionem Principatus venit. Ejus filius Ludovicus, cognomine Bonus, pater Gvilielmi & avus Joannis, Principum Arausionensium fuit. Hoc geniti sunt Philibertus Princeps & Claudia Henrici Comitis Nassovii uxor. Ille copiarum Caroli V. ad Florentiam Dux 1530 †, instituto herede filio sororis Renato, Nassovio Comite, qui inde primus ex hac gente Princeps Arausionensis factus est, ea conditione ut nomen & arma Cabil-

R 3

lonensia

lonensia seu Challonia assumeret. Hic cum 1544. in Lan-

lonensia, seu Challonia assumeret. Hic cum 1544. in Landresiana obsidione occumberet improlis, iterum heredē instituit patruele Wilhelmum Nassovium (cujus parens Wilhelmus Senior, & Henricus Renati parens fratres, Johannis, Comitis Nassoviæ, filii fuerant) Johannis Senioris (à quo supra, Parte Prima, reliquos Nassovios omnes deduximus) fratrem, qui primus Unitarum Belgii provinciarum Capitaneus generalis adversus Hispanos, 1584. sicaria manu occisus est. Ex filiis tres ordine Principes Arausionenses fuere, stemma autem tantum propagavit ultimus Henricus Fridericus, pater Wilhelmi & avus Wilhelmi Henrici, qui non solum avitas ditiones & Dignitates in Belgio & alibi obtinuit, sed & Regna Britannia sua virtute & Conjugis jure meruit 1688.

Scutum ejus, antequam Regna susciperet, ut Principis Arausionensis, hoc erat: 2. & 5. Familia Cabillonensis. 3. & 4. Principatus Arausionensis. 1. Comitatus Genevensis seu Gebennensis aut Nicææ, de quo in Sabaudico scuto. In hunc prætere cœpit Johannes Cabillonensis, ob conjugem, quæ Raimundi Arausionensis (unde hunc Principatum ei obtigisse diximus) & Johannæ Gebennensis filia erat. Hoc scutum sic ad Nassovios derivatum, eorum gentilitio imponitur, quod supra vidimus & constat. 6. Nassovio. 7. Catimelibocensi. 8. Viandensi. & 9. Diezensi symbolis, quibus insuper additur. 10. Borseliæ olim familiæ, nunc Veræ & Vlissingæ Marchionatus, quem Wilhelmus 1581. emit, tessera; & 11. Burani Leerdammensisq; Comitatus, quem idem Wilhelmus per conjugem Annam obtinuit, parmula.

Galeæ tres incumbabant. 1. Arausionensis. 2. Cabillonensis. 3. Diezensis.

REX



REX HISPANIARUM.

EX Francia in Hispaniam pergentibus nobis, Regis Catholicæ Hispaniarum Insignia præcipue lustranda veniunt. Hispaniam autem post Romanos Gothi tenuere, usque dum 713. Mauri & Saraceni, irruptione facta, eam velut inundarunt, Gothi in Asturiæ angulos compulsis; unde hi paulatim iterum prorumpentes, prout modo hanc, modo aliam partem illis eripuerunt, varia hinc inde minuta Regna condidere, quæ postea per matrimonia iterum copulata, tandem in unum grande systema coaluerunt. Ferdinandus enim Catholicus, Arragoniæ, Cataloniæ &c. in Hispania & Siciliæ &c. Rex, ducta Isabella Henrici IV. Casti-

Castiliæ, Legionis &c. &c. Regis forore & herede, omnem fere Hispaniam iterum conjunxit, ejectis quoque 1491. Granada & sic tota regione Mauris & occupato Navarra regno 1512, quicquid ultra Pyrenæos est, sola Portugallia excepta, tenuit, Neapoleos insuper Regnum 1503. adjecit & omnem Americam ab 1492. detegi ceptam sibi vindicavit. Quæ omnia amplissima Regna filia Johanna ad Philippum I. Austriacum attulit, quo nati Carolus V. Hispanicam & Ferdinandus I. Germanicam Austriacorum Lineam condiderunt: De hac supra, ex illa, Carolo, in Hispania Imo, successit Philippus II, cujus pronepos Carolus II, est hodiernus Hispaniarum & Indiarum Rex.

Scutum ejus non omnia, sed præcipua saltem Regna & provincias exprimit. 1. & 4. Regnum Castiliæ. 2. & 3. Legionis. 5. Arragoniæ. 6. Utriusque Siciliae. 7. Portugalliæ, cui 1580. impositum jugum Hispanicum 1640. iterum excussum est, memoria tamen in scuto manet. 8. Granadæ Regnum 1491. Mauris ereptum. 9. Archiducatus Austriæ origini notandæ, à Philippo Austriaco, Maximiliani I. Imp. filio. 10. & 11. utraque Burgundia. 12. Ducatus Brabantia. 13. Comitatus Flandriæ, quæ symbola pro universa successione Burgundo-Belgica ponuntur, quam idem Maximilianus per conjugem Mariam, Caroli ultimi Burgundiæ Ducis filiam & heredem 1477. nactus est. 14. Comitatus Tirolensis, ex præcipuis bonis Austriacis.

Galea raro huic scuto, sed plerumque Regia Corona imponitur, circumpendente torque Ordinis Aurei Velleris.

REX



*REX LUSITANIÆ SEU PORTU-
GALLIÆ,*

INter Europæ Regna ultimum exortum est Lusitani-
cum 1139. Henricus enim sive ex Lotharingiis, sive ex
Burgundis oriundus, cum 1089, in Hispaniam ad Al-
phonsum VI. Castiliæ Regem venisset eique adversus
Mauros militasset, Conimbram atque alia cepit, ob id
Comes Portugalliæ dictus & gener Regis factus per
Theresiam filiam, ex qua genuit Alphonsum I. Hic cum
quinque Maurorum Reges 1139. vicisset, ab exercitu in
loco aciei electus est Rex, tenuitque imperium ad 1185.
Ab hoc reliqui Reges ordine descendunt usque ad Se-
bastia-

S

bastia-

bastianum 1578. in prelio adversus Mauros in Africa

bastianum 1578. in prælio adversus Mauros in Africa
cæsum, cui propatruus Henricus, pridem Cardinalis,
substitutus quidem, sed 1580. mortuus est. Quo facto
Emanuelis Regis 1521 †, ex filia Isabella nepos Philippus
II, Hispaniarum Rex, & ex filio Eduardo neptis Catha-
rina, Johanni Bragantiæ Duci nupta, cum aliis nonnul-
lis de successione contendebant, sed Hispanus, armis po-
tior, Regnum occupabat 1580; At Catharinæ & Johan-
nis nepos, Johannes Dux Bragantinus 1640, commo-
dam occasionem nactus, illud recuperabat, cui filius
Alphonfus & huic frater Petrus II. Rex hodiernus suc-
cessit.

Scutum horum Regum argenteum est & quinque
parmulas repræsentat cæruleas in crucem dispositas.
Singulæ autem parmulæ quinque nummis Byzantinis ar-
genteis, in decussim dispositis onerantur. Mysticas
huius scuti rationes has ferunt. Alphonso I. Regi, con-
tra Mauros pugnaturus, quæ victoria, ut vidimus, regno
primordia dedit, Christum apparuisse, ac, victoria pro-
missa, iussisse, ut crux insignibus legeretur. Scutulis s.
igitur in crucem dispositis s. vulnera Christi, & nummis
inpressis 30. argenteos, quibus venditus est salvator,
exprimi volunt, qui numerus ut conficiatur, cum 25.
tantum compareant, medius quisque bis aut scutula si-
mul numeranda sunt. Limbus circumdatur coccineus,
7. castella referens, ob totidem affinitates cum Castiliæ
Regibus.

Galea imponitur Regia aperta, coronata, ex qua
Draco, quem serpentem Mosis esse volunt, evolat. Te-
lamones sunt Dracones cum vexillis. Torques or-
dinis Jesu Christi cum cruce circumdatur & crux viri-
dis ordinis Avisii prominet.

REX



REX MAGNÆ BRITANNIÆ.

EX Lusitania cursum in Euro-Boream reflectentibus Britannicæ Insulæ primum occurrunt, quarum Regna & Insignia nunc spectanda. Regna in illis tria olim fuere, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, quæ tamen hoc seculo demum feliciter in unum coaluerunt. Angliam à Romanis desertam Anglo-Saxones 449, invasere & de suo nomine sic appellavere, cum prius Britannia diceretur. Horum 7. Regna circa 801. ab Egberto West-Saxone conjuncta, cujus posteritas, à Danis valde afflictæ, sec. XI. cum Eduardo Confessore defecit. Successere Normanni quorum primus Wilhelmus Conquestor, per cu-

S 2

jus

jus neptem Andegavensès Franci sec. XII. regnam ob-

jus neptem Andegavenses Franci sec. XII. regnam obtinuerunt, qui tamen pro Normannis censentur. Ex his Eduardus III. sec. XIV. universam fere Franciam subjugavit, sed sub posteris ejus, exitiale odium inter Lancastrios, Rosæ rubræ & Eboracenses, Rosæ albæ, exarsit, vix demum ab Henrico VII. Rege sopitum 1485. junctis per matrimonium Rosis. Hujus ex Henrico VIII. filio profapiam Elifabetha Regina terminavit 1602, sed ex Margareta filia durans stirps Regum Scotiæ, Jacobum VI. dedit, qui, heres Elifabethæ, omnia Regna Britannica felicissime conjunxit. Hujus nepos Jacobus 1688. regno profugus illud Mariæ filiæ & genero Wilhelmo III. Arausionensi reliquit.

Scutum quadripartitum in 1. & 4, & utrobique bis repetit 3. Lilia Francica & 3. Leopardos Anglicanos. Lilia ab Eduardo III. assumpta 1327. quod Carolo IV. Rege Franciæ sine prole, ipse, sorore ejus natus, succederet & armis jus prosequeretur. Prætenderet Leones, aut Leopardos Anglicanos alii ad Wilhelmum Conquestorem referunt sec. XI, sed alii à Richardo I. in expeditione Orientali sub finem Sec. XII. demum assumptos contendunt, 2. Leo est Scotiæ, eodem fere tempore usurpari coeptus, limbo liliato ex amicitia Francica postea inclusus. 3. Chelys Hiberniæ est, à Davide quodam Rege forte assumpta, quod cognomini in Sacris Regi hoc organon familiare fuerit.

Galea & heic raro imponitur, sed plerumque Corona regia, liliis & cruciculis ornata. Telamones adduntur hinc Leopardus Anglicanus, illinc Monoceros Scoticus, qui vexilla Rosæ rubræ & albæ tenent. Circumdaturque Ordo Periscelidis.

REX



REX DANIAE ET NORWEGIAE.

EX Britannia per Mare Germanicum rectà in Daniam & Norvvegiam navigatur, quæ olim distincta Regna fuerunt, sed sec. XIV. conjuncta sunt. Cum enim Waldemarus III, priscorum Daniae Regum ultimus (neque enim angustia patitur, ut à Dano primo Rege, Davidis coætaneo, historiam ordiamur) 1375 †, non nisi duas filias relinquebat, ex quibus Margareta Hacqvino, Norvvegiae Regi ultimo nupta, Olaum VI. peperit, soror verò Ingelburga, Henrico Duci Mecklenburgensi in matrimonium data, Mariam peperit, Uratislao VII. Duci Pomeraniae nuptam, ex qua prodiere Ericus Pomernus & Sophia, Johanni Palatino-Bavaro data, ex qua na-

S 3

tus

tus Christophorus Bavarus, qui post regnarunt. Olao VI. |

tus Christophorus Bavarus, qui post regnarunt. Olao VI. enim, qui Daniam à matre, Norvvegiam à patre, 1380 †, acceptam conjunxerat, 1387. sine prole †, mater Margareta successit, quæ capto Alberto Svecorum Rege 1388. tria Regna Septentrionalia conjunxit 1397, adoptato Erico Pomerano, sororis suæ nepote, qui ipsi, 1412 †, successit & huic 1439. sororius Christophorus Bavarus 1448 †. Quo facto Dani Christianum I. Oldenburgensem elegerunt, cujus posteritas adhuc feliciter imperat, qua de Parte Prima in Ducibus Holsatiæ diximus. Trinepos illius est Rex hodiernus Christianus V.

Scutum Potentissimorum Daniæ Monarcharum non semper eadem ratione disponitur, nos eam formam selegimus, quam nummi recentissimi exhibent, ubi Regnis Ducatus & his Comitatus, singuli scuto peculiari super imponuntur. 1. Regnum Daniæ; tres Leopardi cærulei ab ipso Dano assumpti dicuntur, ad signanda tria freta, Oresundicum, Balticum majus & minus. 2. Regnum Norvviagiæ. 3. Memoria conjunctionis trium coronarum septentrionalium 1397. 4. Regnum Gothiæ, aut potius Juthiæ seu Cimbriæ. 5. Regnum Vandalia, quod notat Draco, *der Lindwurm*. Ethoc est Scutum majus Regnorum, cui imponitur. 6. Crux argentea quæ Danebroga à nonnullis dicitur, Waldemaro II. in expeditione contra Esthios infideles 1218. cœlitus demissa, vel potius à Pontifice Romano missa. Sequitur Scutum Ducatum. 7. Slesvvicensis. 8. Holsatici. 9. Stormarici. 10. Dietmarsici. Denique Comitatum, 11. Oldenburgici, 12. Delmenhorstani.

Corona imponitur Regia, circumponitur Ordo Elephantum & adduntur Telamones duo Viri Sylvestres.

REX



*REX SVECORUM, GOTHORUM ET
VANDALORUM.*

NOrvvegiæ ultra Sveonem montem adjacet Svecicum
Regnum, omnium Europæorum antiquissimum
& amplissimum, utpote cujus originem ad Magogum
Noachi nepotem argumenta haud contemnenda refe-
runt. Nobis heic dixisse sufficit, Magnum II, cognomen-
to *Schmeek* / ultimum fuisse priscorum Sveciæ Regum,
cui vivo, ob res male gestas, successit Albertus Dux
Megapolitanus, ipsius ex sorore Euphemia nepos 1363,
â Margareta Daniæ regina captus 1388. & regno cedere
coactus 1395. Ex quo tempore turbulentissimus fuit Sve-
ciæ

ciæ status per annos 125. Daniae Regibus, specie conjunctionis 1397. factæ, Svecos sub jugum mittere, his vero sub Carolo Canuti, Stenonibus & Svantone Sturiis, Regni Gubernatoribus avitam libertatem strenue defendere conantibus, usque dum tandem Gustavus I. Erici, ex Wafarum, seu Trolliorum sanguine, patriam in pristinam libertatem vindicaret & propterea Rex hereditarius 1523. declararetur, cui 1560 †, tres ordine filii, Ericus XIV, Johannes III. & (interjecto ad paucos annos, sed mox remoto, hujus filio Sigismundo, Poloniae Rege) Carolus IX. succedere, huic 1611. filius, Invictissimus Heros, Gustavus II. Adolphus, cognomine Magnus, huic 1632. gnata unica Christina & huic Regnum abdicanti 1654, patruelis, Carolus X. Gustavus, Catharinæ, Caroli IX. filia, & Johannis Casimiri, Palatini Bipontini, filius, huic 1660. filius unicus Rex hodiernus, Carolus XI.

Scutum hujus Regio super impositum habet Palatinum, origini notandæ; in illo 1. & 4. tres Coronæ, antiquissimum sunt Regni Svecici symbolum, 2. & 3. Leo Gothici Regni, super tres celebres Gothiæ lacus, Mellerum, Vennerum, Wetterum saliens; In hoc 5. est Leo Palatinus. 6. Rhombi Bavarici. 7. Juliensis. 8. Clivensis. 9. Bergensis Ducatus, de quibus Parte Prima. Præcedentes Reges, usque ad Christinam, loco hujus, gentilitiam parmulam, fasciculum Wafarum, seu Trolliorum, continentem, imponebant.

Corona Scuto imponitur Regia clausa, & Telamones adduntur bini Leones, qui interdum pinguntur retrospectantes.

REX



*REX POLONIÆ, MAGNUS DUX
LITHUANIÆ.*

IN amplissimas Sarmatiæ provincias circa 550. Lechum
quendam ex Illyrico venisse & novum ibi Regnum
condidisse constans traditio est. Priscos Duces & Reges
enumerare nimium esset, ultimus eorum erat Casimirus
M. 1370. ex gravi casu †, cujus soror Elisabeta, Ludo-
vico I. Regi Hungariæ nupta, causa fuit, ut huic Poloni-
ca quoque Corona deferretur, sed cum ipse 1382 †, non
nisi duas filias relinqueret, Poloni cum Hungaris am-
plius conjungi recusantes, minorem natu filiam Hedvvi-
gen assumsere (ut Hungari majorem Mariam) cum sibi
T Regem

Regem decernentes, quem in sa. maritum adscivisset. Ob-

Regem decernentes, quem ipsa maritum adscivisset. Obtinuit præ reliquis Jagello Magnus Lithuaniae & Russiae Dux ea conditione, ut ipse cum gente, deposito ethnismo, Christiana sacra amplecteretur & Lithuaniam Poloniae jungeret, quod & fecit, Uladislauus in baptismo vocatus. Sic Polonia Lithuaniaque coaluere 1386. Ultimus Jagellonidarum erat Sigismundus Augustus Rex 1572 †, superstibus tantum sororibus Anna & Catharina. Illa Stephano Bathori Transylvano nupta, coronam ipsi attulit, quam mors iterum eripuit 1586. Hæc Johanni III. Regi Sveciæ nupta, Sigismundum peperit, qui in Svecia & Polonia regnavit, sed ibi ob religionem exclusus, filios in Polonia successores habuit, quorum Johannes Casimirus 1668. regno se abdicavit. In cuius locum Michael Wisniovvizius electus 1673 †. Cui successus Johannes Sobievvsky, qui nunc gloriose regnat.

Scutum Polonicum quadripartitum est: 1. & 4. Aquilam argenteam coronatam sistit, Regno Polonico notando, cuius originem inde ducunt, quod Lechus conditor Republicæ, cum Gnesnam, quondam regiam, strueret, aquilarum candidarum nidum repererit, nascentis Imperii augurium, unde & urbi nomen, *Gnesna* enim nidum significare traditur. 2. & 3. Eqves cataphractus argenteus, Magnum Ducatū Lithuaniae signat, per Jagellonem junctum. 5. Gentilis parmula est hodierni Regis, scutum curvum aureum Sobievvskium.

Galea eminent Regia aperta, Corona Regia tecta, supra quam Aquila scutaria assurgit.

DUX



*DUX CURLANDIÆ ET SEMI-
GALLIÆ.*

IN finibus Poloniæ & Livoniæ Svecicæ est Dux Cur-
landiæ & Semigalliæ, Polonicæ Reipubl. obstrictus,
cujus Insignia heic apponenda duximus. Origo hujus
Ducatus ex Livoniæ distractione, cujus olim pars erat.
Res ita habet: Equites Ordinis Teutonici Mariani (de
quibus Parte Prima, in Magno eorum Magistro inter
Principes Ecclesiasticos Germaniæ) Palæstina pulsi, in
Germaniam & circa 1229. in *Borussiam* concesserunt, in
qua, ad fidem christianam conversa, Magnum Ordi-
nis Magisterium erexerunt, *Crucigeri* ab insignibus di-

T 2

cti.

cti. Successu temporum etiam *Livonia* subacta & no-

cti. Successu temporum etiam *Livonia* subacta & novus ibi Ordinis, discretionis causa, *Ensisferorum* ab insignibus dicti, Magister constitutus, qui post varias lites, 1513. æresibi libertatem à Borussia Magistro paravit. Circa medium superioris seculi eam dignitatē tenebat *Gvilielmus Furstenbergicus*, cui cum graves similitates cum *Gvilielmo* Archi-Episcopo Rigensi intercederent, occasio hisce dissidiis data *Ivano*, *Magno Duci Moscovia* ut irruptione facta, utrumque opprimeret. Durantibus autem turbis, ultimus Ordinis Magister lectus *Gotthardus Kettlerus*, cum aliter non posset, Livoniam *Sigismundo Augusto*, Regi Poloniae 1559. in tutelam tradidit, sibi *Curlandia* & *Semigallia* cum Ducali axioma servata, quo solenniter ornatus est à Regis Legato *Ratzevilio* 1562. Ab hoc *Gotthardo* reliqui Duces descendunt, ex quibus *Jacobus* Luise Carolæ Brandenburgicæ maritus, filium genuit *Fridericum Casimirum*, qui nuper 1691. *Elisabetham Sophiam* Brandeburgicam duxit.

Scutum quadripartitum est, de quo certo quidem affirmare non possum, credo tamen 1. & 4. *Curlandiam*. 2. & 3. *Semigalliam* notare. 5. *Gentilis* est *Kettleriorum* parmula in qua *Der Kesselhafen* ad nomen alludit, Literæ autem S. A. *Sigismundi Augusti* memoriam servant, à quo Ducalis dignitas collata.

Galeæ tres eminent: 1. *Kettleria*. 2. *Semigallica*. 3. *Curlandica*.

CZARI-



*CZARIUS SEU IMPERATOR AUT MAGNUS
DUX MOSCOVIÆ.*

Rufforum, qui nunc Moscovitæ à metropoli Moscua frequentius appellantur, origo à Russo repetitur, Zechi Bohemorum & Lechi Polonorum fatoris fratre, aut certe itineris socio, qui circa medium seculi VI. ex Illyrico in hæc oras venerit & novi Principatus fundamenta jecerit. Conversi Russi ad fidem Christianam Græcæ seu Orientalis Ecclesiæ 989, cum Princeps eorum Vladimirus, sive Wolodomirus Basilii Porphyrogenitæ Imperatoris Constantinopolitani sororem Annam duceret. Subjugati autem à Tartaris fuerunt 1237, Principe Georgio occiso, quibus ultra duo secula servierunt, usq:

T 3

dum

| dum jugum excuteret Johannes III, Basilii cæci filius, qui |

dum jugum excuteret Johannes III, Basilii cœci filius, qui 1450. regnare cœpit, sub quo vires Russorum prima incrementa sumferunt, Principibus minoribus plurimis subactis & regionibus eorum in unum Corpus compactis. Nepos hujus ex Basilio filio fuit Johannes Basilides (Ivan Wasilovvitz) immanissimus Tyrannus, qui omnem latè Russiam, Regna etiam Tattarica, Casanense & Astracanense, subegit, in Livonos sæviit, ut Num. præced. dictum, † 1584, cujus posteritas in filio Theodoro (Fædor Ivanovviz) defecit 1597. Ex quo tempore turbatissimus Russiæ stat⁹ fuit, variis, modo indigenis modo exteris, ad gubernacula admotis, sed mox iterum remotis usque, dum 1613. Michaël Theodori Michaelidis, Patriarchæ Moscovitici filius, maternum sangvinem à Johanne Basilide trahens, à Russis electus est, qui omnia iterum pacata reddidit † 1645. Huic filius Alexius Michaelides 1675 †, & huic initio major filiorū Theodorus, sed hoc ob morbos & cœcitatem inhabibili fere existente, minor natus Petrus Alexovviz successit, qui nunc imperat, quamvis soror Sophia, Theodori partes defendens, ut sub illius nomine ipsa regnaret, multum ei difficultatis creaverit, qui Princeps dicitur, præter Russorum mores, liberalis, literas amans, egregia facie & statura.

Scutum Russorum Aquilam bicipitem refert, illi, qui Orientale Imperium olim denotabat, prorsus similem, sed alis caudaque non explicatis, sed complicatis, forte ob matrimonia diversa cum Constantinopolitanis contracta, assumptam, quamvis alii à Johanne Basilide primum gestatam referant. A collo aquilæ scutum S. Georgii dependet, Russis familiare.

Coronæ tres super capita aquilæ eminent, tribus Regnis notandis: Moscovitico, Casanensi & Astracanensi.

BELGII

BRABANT: LIMBURG. LUXENB: GELDRIA.



FLANDRIA. ARTESIA. HANNONIA.



NAMUR. ANTWERP: MECLIN:



BELGII HISPANICI SYSTEMA.

AB extrema Russia ad Germaniam revertimur, unde Parte prima inceperamus, lustraturi nunc illas Respublicas, quæ ad Imperium Germanicum proprie non pertinent, sed illud & vicinam Galliam interjacent, inter quas primo loco se offert Systema illud Ducatum, Comitatum & Dominiorum, quod Rex Hispaniæ in Belgio adhuc tenet, quamvis multis partibus à Gallis mutilatum. In eo sunt:

I. *Ducatus Brabantia*, extinctis propriis Ducibus, à Margareta herede Ludovico Malano, ultimo Flandriæ Comiti & ab hujus filia Margareta Philippo Audaci, Duci Burgundiæ fec. XIV. & ab hujus abnepte Maria

1477.

1477. Maximiliano Austriaco allatus, à quo Reges Hispa-

1477. Maximiliano Austriaco allatus, à quo Reges Hispaniæ descendunt.

2. *Ducatus Limburgi*, quem Adolphus II. Dux 1282. Johanni Duci Brabantia vendidit, sicque cum Brabantia ad Burgundos & Austriacos devolutus est.

3. *Ducatus Luxemburgi*, à Johanna Walrami ultimi Ducis filia & herede Antonio Burgundo allatus, sicque ad Austriacos delapsus.

4. *Ducatus Geldria*, 1472. ab Adolpho Duce Carolo Burgundo venditus, cujus nepos Carolus V. Imp. 1538. plene illum occupavit. Est autem Juliacensis Leo in scuto junctus Geldrico, quod Juliacenses Ducatum aliquandiu tenuerint.

5. *Comitatus Flandria*, à Margareta Malana Philippo Audaci Burgundo allatus, ut diximus.

6. *Comitatus Artesia*, olim Flandriae pars, sed dotis loco Gallis aliquando datus, unde Francica insignia eidem adhaere, sed Ponticulo discretivo signata, in cujus tribus fulcris novem castella cernuntur. Demum ad Ludovicum Malanum à matre rediit, sicque cum Flandria & Brabantia ad Burgundos delapsus.

7. *Comitatus Hannonia*, olim proprios, post ex Flandris Comites habuit. Sec. XIV. ineunte, Johannes II. illum tenuit, à matre etiam Hollandia atque Zeelandia Comes, cujus neptis Margareta Ludovico Bavaro Imperatori nupsit & Albertum peperit, in Belgio successorem, cujus neptis Jacoba, cum Lineam clausisset, ex filia Margareta nepos, Philippus Bonus Burgundus hereditatem adiit.

8. *Comitatus Namurci*, à Philippo Comite 1428. venditus Philippo Burgundo.

9. *Marchionatus S. Imperii, sive Antverpia*, qui à 1137. Brabantia adhaesit.

10. *Dominiuum Mechlinia*, quod à propriis Dominis ad Leodienses Episcopos delatum, Flandris venditum, unde Brabantini acquisiverunt, sicque ad Burgundos & Austriacos delatum est.

BELGII



BELGII FOEDERATI SYSTEMA.

Provinciarum Belgicarum XVII. in universum erant, cum Caroli Burgundi filia & heres Maria illas Maximiliano I. Imp. Austriaco 1477. adferret. Conjunctæ omnes illæ manserunt, quam diu patrium & mite imperium in gentem libertati adsvetam, Philippus illius filius & Carolus V. nepos (qui, quod pleræque hæ provinciarum Leonibus utantur in insignibus, unum Regnū, quod Leonum dicendum fuisset, ex illis constituere voluisse fertur) exercuerunt. Verum cum hujus filius Philippus II, Hispaniæ Rex, immanissimum Ducem Albanum 1567. ipsis Governatorem mitteret, qui, introducto crudelissimo Inquisitionis religiosæ judicio, intra quinquennium

U

ultra

ultra 18000. per carnifices, & ultra 100000. per milites, truci-

ultra 18000. per carnifices, & ultra 100000. per milites, trucidabat incolas, ab Hispanico jugo omnes provinciæ abhorre-
re cœperunt. Orto autem ex religione dissidio, X. provinciæ, Num.
præced. enumeratæ, maximam partem Catholicæ, in Hispanico
obsequio mansere; sed reliquæ VII, in ita 1579. Ultrajecti Uni-
one, libertatem avitam defendere decreverunt, cumque nulla
medela obtineri posset, tandem 1581. Regi Hispaniæ obsequium
denegarunt ac diuturno bello rem eò redegerunt, ut 1648. Phi-
lippus IV. Hisp. Rex liberas illas pronunciare cogere-
tur.

1. *Geldria Ducatus*, non integer quidem (pars enim
in obsequio Hispanico mansit, quam Num. præced. vidimus)
sed borealior ipsius tractus, in quo etiam est Comitatus Zutpha-
niæ, separatim aliàs inter XVII. provincias numeratus, sed jam
à sec. XI. Geldriæ junctus, & cum illa devolutus; quem nos ideo
sub Geldricis Leonibus expressimus, primas inter Unitas pro-
vincias tenet.

2. *Hollandia Comitatus*, quem sec. XIII. Wilhelmus te-
nebat, ad Romani Imperii dignitatem electus, sed 1256. cæsus,
cujus mascula progenies, cum in nepote Johanne, 1299, defe-
cisset, ex sorore ejus Adelheide natus Johannes II. Comes Han-
noniæ successit, unde cum Hannonia ad Bavaros & ultra pervenit.

3. *Seelandia Comitatus*, qui eosdem semper cum Hol-
landia Dominos habuit.

4. *Ultrajectense Dominium*, olim Episcopatus, inde à
sec. VIII, quem ultimus Episcopus, Henricus Palatinus, seculo
superiori Carolo V. cessit, quod à Carolo Egmondano, ultimo
Geldriæ Duce pulsus, tueri illum non posset.

5. *Frisia Occidentalis Dominium*, olim Regnum, sed
dudum distractum, cujus reliquiæ Hollandiæ Comitatu adhæ-
sere & cum illo propagatæ fuere.

6. *Transilantia*, olim Ultrajectensis Episcopatus pars, quæ
jam ante reliquam, de qua diximus, se Carolo V. submiserat.

7. *Grœningense Dominium, seu Ommelandia*, quæ 1521
in Carolo V. potestatem concessit.

Septem hæ provinciæ alias in monetis Leonem coronatum,
aut Virum armatum, septem tela tenentem, Concordiæ sym-
bolum, exprimere solent.

HELVE-



TIGURUM BERNA LUCERNA URIA SUTIA



UNDERWALDIA TUGIUM GLARONA BASILEA FRIBURGUM



SOLODURUM SCHAPHUSIA ABBATISCELLA



HELVETIÆ FOEDERATÆ SYSTEMA.

Qui in Germaniæ, Franciæ & Italiæ finibus Alpes incolunt Helveti, magna libertatis specie Germanico Imperio subfuere, usque ad initium sæculi XIV, quo Albertus I. Austriacus Imperator, omni conamine id agebat, ut ab immedietate Imperii ad Domus Austriacæ obsequia eos compelleret. Quod cum blanditiis obtinere non posset, duros nomine Imperii Præfectos ipsis imposuit, ut eo citius ad Austriacam Clementiam se reciperent. Sed illi ab his indignissimis modis tractati, Kalendis Januar. 1308, eos interfecerunt & tres primum provinciæ, seu pagi Uriensis, Svvitensis & Sylvanicus pro libertate tuenda conjurarunt, quibus deinde reliqui pag-
gi, quos

gi, quos Italico nomine *Cantones* vocant, successu annorum, accesserunt, ita ut nunc in univ[er]sum XIII. numerentur, hoc ordine:

1. *Tigurinus* qui 1351. foederi accessit.
 2. *Bernensis*, 1353. eidem junctus; sed hi duo ob potentiam praelati.
 3. *Lucernensis* 1321. copulatus.
 4. *Uriensis*, qui duce Walthero Furstio
 5. *Suvidensis*, qui duce Wernero Stauffachero
 6. *Sylvanicus*, qui duce Arnaldo à Melchtal
- } Primi
} conjurarunt
} 1308.
7. *Tugiensis*, qui 1352. nomen dedit.
 8. *Glaronensis*, qui eodem anno professus est.

Et hi dicuntur VIII. *Pagi Veteres*.

9. *Basileensis* 1501. in foedus receptus.
10. *Friburgensis* in Nuidlandia 1581. adscriptus.
11. *Solodurensis*, 1488. insertus.
12. *Schaphusensis* 1501. adscitus.
13. *Abbatis Cellensis* 1513. reliquis omnibus superaditus.

Corpus hoc XIII. Rerumpublicarum sic coadunatum Libertatem suam mascule defendit, usque dum 1648. pace Westphalica, omnimodam ab Imperio exemptionem obtineret. Sunt praeterea aliae provinciae Cantonibus foederatae, sed non eodem systemate comprehensae, ut *Rhetia* Grisonum, *Valesia*; Respublica item *Genevensis*, *Biennensis*, *Neocomensis*, &c. &c.

quorum insignia alio fortassis tempore
dabimus, nunc haec sit-
quoque

*PARTIS SECUNDÆ
FINIS.*



Part
I.



Bericht an den Buch- binder.

Weiln dieses Octav - Format anders als
ordinar: geschossen / als wird man in acht neh-
men / daß es nicht hinten / sondern unten bey
der Signatur geheftet / und ablänglich als ein
Noten: Büchlein muß ausgefertigt werden;
Das Blättlein / worauff die Tinctæ Heraldic-
uræ wird nach der Præfation des ersten Theils
gelegt / das Ubrige wird man in Ordnung zu se-
zen wissen.

Erhalten in Nurnberg 1581. adscriptus.

Solomonische, 168. v. d. d. d.

Schapphousische, 168. v. d. d. d.

Abbat. Cellensis, 168. v. d. d. d. super ad-

scribitur. 168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d.

Corpus hoc 168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d.

in 168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d.

168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d.

168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d. 168. v. d. d. d.



